



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Titvlvs II. De Constitvtionibvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

Decret. Greg. Lib. I. Tit. II. Cap. I.
TITVLVS II.
DE CONSTITVTIONIBVS.



Ost iacta Fidei Catholicae fundamenta, agitur de Constitutionibus, siue legibus ecclesiasticis, qui & sacri canones appellantur; atque explicantur, quae eorum vis sit, & obligatio. Sermo autem hic est non de canonibus siue decretis Fidei, quae ad eam certam & infallibilem ex diuina reuelatione veritatem obtinent, vt nullo vnquam tempore mutari, aut abrogari queant; sed de canonibus, seu decretis morum, quae ab humana Praetorum ecclesiasticorum voluntate ita dependent, vt, licet recte & salubriter condita sint, tamen ob temporum, locorum, & aliarum circumstantiarum varietatem, mutari, & per desuetudinem, vel constitutionem contrariam vel omnino tolli, vel faltem ex parte per dispensationem eis derogari possit.

CAPITVLVM I.
Canonum.

SVMMARIVM.

1. Sacri canones ab omnibus Christianis obseruari debent.
2. Homines non baptizati, ipsiq; catechumeni ecclesiasticis legibus ac poenis non astringuntur: sed alia ratio est de haereticis & apostatis.
3. Leges & canones seruari debent ab omnibus secundum accommodationem, vid. iis, quorum respectu conditi sunt.
4. Lex omnis generaliter fertur; & nulla proprie sunt leges personales.
5. Præuilegia non sunt proprie leges.
6. Rescripta Principis quae ratione legis rationem habere possunt.
7. Sacri canones circa materiam ecclesiasticam versantes etiam a laicis obseruari debent. Quod si contra huiusmodi canones, legibus civilibus quidpiam statutum reperiatur, ea abolite censeri debent.
8. Leges civiles circa politica materia non canonico iure nihil peculiariter statutum sit, etiam in foro ecclesiastico vim obtinent.
9. Potestas ecclesiastica & potestas civilis se mutuo adiuuare debent. Clerici quoque ad vim directiuam obligantur civilibus legibus Reipubl. cuius membra sunt.
10. Si casus politicus in civili iure indecisus in canonico iure decisionem habeat, tunc canon etiam in civili foro allegari, & secundum eum iudicari debet.
11. Si in materia politica aliter lege civili, & aliter lege ecclesiastica statutum sit, tunc lex civilis in foro civili, & lex canonica in foro ecclesiastico obseruanda est.
12. Discrimen hoc in iis maxime locum habet, quae ad iudicii ordinationem spectant. At vero in spectantibus ad decisionem causarum, iudex attendet ad statuta & consuetudines loci, ubi partes obligationem contraxerunt.
13. Iudex secundum legum publicarum praescriptum iudicare cogitur, nisi quod interdum episcopica locus esse possit.
14. In criminalibus causis, ob varietatem circumstantiarum, relinquitur Iudicibus, praesertim maioribus magistratibus, arbitrandi facultas, siue ad poenam augendam, siue, & quidem frequentius, ad minuendam.
15. Si causa à legis littera per episcopiam discedendi euidenter sit, iudex inferior seu subordinatus non cogitur ad Superiorem referre, secus, si causa dubia sit.
16. Interdum per legem indeterminatè asserueratim decernitur, grauiora v. g. iudicia criminis requiri ad capturam, aut torturam. Interdum causa exempli declaratur, quam grauiora iudicia censeantur. In his autem iudiciis arbitrium non penitus excluditur.
17. Si casus nec per legem, nec per stylum Curiae decisionem habeat, Iudex sequi debet sententiam Doctorum communium; quippe quae probabilior esse censeatur.

18. *Vnius Doctōris sententiam interdum plurimi alii sine maiore aliqua examinatione sequuntur.*
19. *Glosse magna, & maior, quàm aliorum Doctōrum, auctoritas censetur; præterquam si communiter, seu à pluribus, reprobata sit.*
20. *Glossa inaniter allegatur sine textu, si ipsum ius expressum habeatur.*
21. *Si Glossa plures opiniones referat, censeri debet approbare postremam.*

Sumptum est hoc c. ex Concilio Meldensi (vbi Iuo refert p. 5. cap. 171.) in quo præcipitur, vt sacri canones ab omnibus obseruentur; Et nemo in ecclesiasticis actionibus, aut iudiciis, proprio sensu, sed eorundem auctoritate ducatur:

Idem quoque de legibus ciuilibus decretum est in l. 3. C. de legib. vt ab omnibus æquanimiter obseruentur. Sed declarari id debet primò; Intelligendum esse de iis duntaxat, qui ad eandem Rempubl. spectant, siue magistratui Legislatori subsunt, sicuti indicatur in l. 2. ff. eod. quòd *lex communis sponso sit, ad cuius præscriptum omnes, qui in ea Republ. sunt, vitam instituere debent.*

2 Ex quo prouenit, quòd homines non baptizati, ipsique catechumeni legibus ac pœnis ecclesiasticis non obligantur, cum Ecclesiæ subiecti non sint, c. gaudemus 8. de diuortis, c. de Iudæis 5. d. 45. vbi tamen admonemur, aliter sentiendum de hæreticis, quippe qui per Fidem & Baptismum Christi susceptum, Ecclesiæ membra facti sunt: Quamobrem si ab ea recesserint, etiam inuiti ad obedientiam, & sacrorum canonum obseruationem, censuris ac pœnis compelli possunt.

3 Declarari debet secundò; Quòd sacri canones, sicuti & aliæ leges, ac statuta, seruari debent ab omnibus, secundum accommodationem, iis videlicet, quorum respectu, atque obligandi intentione, lata sunt. Non enim canones & leges semper communiter tēdunt ad omnes, qui subditi, seu eiusdem Reipubl. membra sunt; sed frequenter ad vnus generis, conditionis, negotiationis personas, aut certæ prouinciæ, ciuitatis, aut loci incolas,

sicuti bene explicauit huius c. textum Franc. Suarez tract. de legibus lib. 1. cap. 6.

Nec refert, subinde mentionem fieri legis 4
priuatæ, ac personalis, quæ ad particularem personam duntaxat tendit, vt in l. 1. ff. de Constitut. Principum, quòd *quædam sunt leges personales, nec ad exemplum trahuntur: Nam qua Princeps alicui ob merita indulget, vel si pœnam irrogauit, vel si cui sine exemplo subuenit, personam non egreditur,* ait Vlpianus Iureconf. & Glossa hic verb. canonū, quòd *quidam sunt canones personales; Hæc enim intelligi non possunt de propriè dicta lege, aut canone; cum lex omnis sit communitate permanens, vimque obligandi habens; sicuti dicitur in l. 2. ff. eod. Lex est, cui omnes homines decet obedire. Et l. 7. ff. eod. Iura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur.*

Itaque priuilegium, quæ tale, legis ratione 5
propriè non habet, vt rectè tradit Suarez in cit. cap. 6. & lib. 8. de legib. c. 1. partim, quia particularem personam respicere potest, ita vt ad alias non pertineat; partim, quia obligationem respectu eius, cui datum est, non continet: siquidem *inuiro beneficium non datur, reg. 70. ff.* Et nemo priuilegio vti cogitur. Interim verò priuilegium frequenter legis rationem habet quoad alios, quibus præcipitur, vt illud obseruari faciant; aut prohibetur, ne impediant, aut se opponant; dummodò priuilegiū sufficienter ipsis promulgatum, aut cognitum sit.

Simile quiddam de Principis rescripto tradi 6
solet: Quatenus enim illud in certa causa, & erga certam personam ex Curia prodit, legis rationem habere non potest, vt rectè tradit Felin. in rubr. de rescriptis; sed quatenus ad alios ex Principis voluntate extenditur, legis naturam sortitur: Puta si tale rescriptū in corpore iuris positū sit, vel etiam ab inferiore, qui statuendi ius habet, inter statuta municipalia, vel synodalia collocatū, teste Felin. ib. Vel si definitiua sententia, aut iuris alicuius interpretatio à Principe facta in rescripto, ad iudicem inferiorem missa sit, omnibus iudicibus legis instar esse debet, non tantum in illa

illa causa, sed aliis quoque similibus, l. ult. C. de legibus.

7 Insuper *Notandum I.* circa verbum ab omnibus; Quod canones, siue leges ecclesiasticæ non tantum à Clericis, sed etiam laicis obseruandæ sint, cum omnes pariter eo ipso, quod fidem & Baptismum Christi susceperunt, ecclesiasticæ iurisdictioni subiiciantur, c. nouit 13. de iudiciis. Intelligi autem hoc debet de canonibus circa materiam ecclesiasticam versantibus, vid. in causis piis, aut periculum peccati concernentibus, &, vt breuiter dicam, iis omnibus, quæ per se ac directe ad salutem animæ dirigitur.

Quod si in eiusmodi ecclesiastica materia contrarium aliquid ciuili lege statutum reperitur, ea abolita cenferi debet, vt secundum talem legem ne in ciuili quidem foro agendum, aut iudicandum sit, sicuti habetur in c. 1. & seqq. d. 10. Tales sunt Cæsareæ leges v. g. quæ vfuras lucratias approbant, præscriptioni cum mala fide, seu conscientia iuris alieni assistent, mulieri intra annum viduitatis nubenti pœnam decernunt, nuptias absque patris consensu contractas irritas esse pronuntiant, &c. Sin autem à ciuili Magistratu leges circa materiam ecclesiasticam ferantur, sacris canonibus non aduersantes, quam ea vim habere possint, dicitur infra hoc tit. c. Ecclesia 10.

8 Sed quid, vice versa, sentiendum de legibus ciuilibus circa materiam politicam, num eæ etiam inter clericos, aut in foro ecclesiastico obseruationem, obligationemque habent? Respondeo & dico I. ex doctrina Gl. in reg. 2. ver. possessor in 6. Fel. c. Ecclesia n. 40. ibid. Abbat. n. 15. & seqq. hoc tit. Si circa materiam politicam canonico iure nihil peculiariter statutum reperitur, tunc leges ciuiles etiam in ecclesiastico foro allegari, & secundum eas iudicari debet, vt expressè habetur in c. 1. de noui operis nunciat. Ex quo hæc doctrina colligitur, quod leges politicæ, præsertim Cæsareæ, approbatæ & canonizatæ sint ab Ecclesia, si nihil contrarium canonico iure decretum reperitur. Rationes huius doctrinæ dari debent: Prima, ex eod. c. 1. desumpta: Quia expedit, vt duæ

potestates, ciuilis & ecclesiastica, in Christi Ecclesia se mutuo adiuent: Et cum secularis Magistratus canonum statuta in causis ecclesiasticis, seu ad animæ salutem pertinentibus, suscipere cogatur, æquum & congruum est, (licet absolute loquendo non obligatorium) vt ecclesiasticus Magistratus leges ciuiles de causis politicis iuste latas, vltro suscipiat & veneretur. Altera. Quia leges ciuiles à legitimo Magistratu feruntur per potestatem à Deo acceptam, vt Apostolus testatur ad Rom. cap. 13. & bene hic annotauit Abbas n. 9. *Si lex ciuilis non est peccati nutritiua, seruanda est etiam in foro anima: nam ex quo lex iusta est, auctoritate Dei edita est; & ipse Deus videtur edidisse per ministros suos.* Quæ autem ratione clerici, seu ecclesiasticæ personæ his legibus ciuilibus, quo ad vim directiuam, non autem coactiuam, obligentur, explicauit in mor. Theol. lib. 1. traçt. 4. c. 13. n. 1.

Corollarium. Si casus aliquis politicus, inspectato iure ciuili dubius, & non satis decisus sit; at verò in iure canonico decisionem habeat, tunc etiam in ciuili foro canon allegari, & secundum eum iudicari debet. Ita ex communi DD. in c. super literis, vbi id dicam de rescriptis, Felin. in cit. c. Ecclesia n. 49. Ratio est, quam supra indicauit, quia ciuilis & ecclesiasticus magistratus se mutuo adiuant: *Sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita & sacrorum canonum instituta. Principum constitutionibus adiunguntur.* c. 1. de noui operis nunciat.

Dico II. Si in materia politica aliter lege ciuili, aliter verò lege ecclesiastica statutum sit, tunc lex ciuilis in foro ciuili, lex autem canonica in foro Ecclesiæ seruari debet. Ita Gl. communiter recepta in c. 2. ver. lex ciuilis, de arbitris in 6. Gl. in cit. reg. 2. eod. lib. ver. possessor, vbi ait: *Papa non potest tollere leges quoad iudicium seculare, nisi in iis, in quibus vertitur periculum animi, cum potestates sint distinctæ, videl. ecclesiastica à seculari.*

Hæc autem doctrina quàm maximè locum habet in pertinentibus ad ordinationem iudicij, iuxta cit. c. 2. de arbitris in 6. *Quoad ordi-*

ordinationem iudicij, inquit Abb. in cit. c. Ecclesian. 24. attenditur locus, ubi iudicium exercetur. Exempli causa, si de crimine vsuræ clericus aduersus laicum agat coram iudice seculari, processus fiet non summarie & de plano, sed obseruatâ ordinariâ figurâ iudicij, sicuti in ciuili foro moris est, teste Gl. in Clem. dispendiosam, ver. vsuris, de iudiciis. Item, si laicus coram ecclesiastico iudice agat contra clericum, poterit ille appellare à sententia interlocutoria; vel omisso medio, ad Rom. Pontificem, sicuti in foro ecclesiastico permillum est. Sed alia ratio est quoad ea, quæ ad causarum decisionem spectant: In his enim iudex quicumque, siue ecclesiasticus siue secula..., attendere debet ad statuta & consuetudines, ex quibus litigantes per pacta, vltimas voluntates, delicta, &c. obligationem contraxerunt, sicuti Abb. annotauit in cit. c. Ecclesia n. 25. & 44. & dicam de hoc infra in eod. c. Ecclesia.

13 *Notandum I. e. o. verbo: Nemo suo sensu. &c.* Iudex, præsertim Principi subordinatus, siue non supremus, non ex proprio sensu & arbitrio, sed secundum publicas leges, & Maiorum auctoritatem, iudicare debet. Consentit cap. 3. d. 4. ex quo colligitur, quod iudex non de legibus, quas constat legitima auctoritate latas, & receptas esse, iudicare debeat, num ex iustæ sint; sed secundum earundem præscriptum.

Veruntamen cum non omnes casus speciales vna lege vniuersali comprehendi possint, ideo quandoque Iudici concessum est, occurrente graui circumstantia, secundum epikian à litera, seu externo quasi cortice legis recedere, non item à mente legislatoris: quando ita res comparata est, vt prudenter æstimare possit, si legislator præsens adesset, quod aliter in hoc casu, quam in lege sua vniuersim præscriptum erat, iudicaret.

14 Itaque maximè locum habet in pœnis lege decretis ob maleficia, vt Innoc. super hoc annotauit. Tameñ enim, si ob crimen aliquod certa pœna legibus decreta sit, eam Iudex (excepta plenitudine potestatis supremæ) ordinariè augere, aut minuere non possit, l. 1. in fine, C. ad S. C. Turpillianum, & de

cet S. Tho. 2. 2. q. 67. a. 2. Gl. in c. licet 3. ver. pœnam pecuniariam, de pœnis: siquidem nihil tam Reipubl. perniciosum est, quam si Iudices arbitraria faciant ea, quæ à lege certam definitionem habent; attamen, propter varias circumstantias & qualitates cum delictorum, tum personarum delinquentium, nec non locorum, in quibus iudicium agitur, non parua Iudicibus arbitrandi facultas permilla est, siue ad pœnam augendam, siue, & quidem frequentius, ad minuendam, l. respiciendum 1. l. hodie 13. l. aut facta 16. ff. de pœnis, & bene declarat Prosper Farinacius in praxi criminali q. 17. n. 6. & 7. Atque de consuetudine Imperij testatur Andr. Gaill lib. 2. de pace publ. cap. 9. n. 22. vbi addit, id maximè in maioribus magistratibus receptum esse: minores autem, Principe inconsulto, id agere non oportere, præsertim post latam condemnationis sententiam.

Videri potest Felinus hinc n. 48. & seqq. 15 vbi plures casus enumerat, in quibus Iudex aut Officialis à præscripto legum ac præceptorum recedere possit, ob causam magnam & vrgentem. Limitat verò n. 50. nisi Superior in tali casu consuli possit. Quam tamen limitationem necessariam non arbitror, si causa euidens sit; cum ipsamet iura huiusmodi epikian, seu arbitrandi facultatem Iudici permittant, vt videre licet in supra allegatis legibus. Sin autem causa dubia sit, tum Superior, non tantum si præsens sit, sed etiam absens, consuli debet, dummodo id fieri possit. Idque sumitur ex l. 1. C. de legibus, vbi Imperator ait: *Inter equitatem, usq; interpretationem nobis solis & oportet, & licet inspicere.*

16 Cæterum interdum lex indeterminatè ac generatim statuit quidem, v. g. in criminalibus ad capturam, aut torturam criminosi deueniendum non esse, nisi graua criminis indicia habeantur; Item, si homini merus grauis, aut iniuria atrox illata fuerit, ita iudici iudicandum esse; Interim non satis definiendo, quænam indicia graua, quæ iniuria atrox censi debeat; cum talia generalibus legibus, ob negotiorum ac circumstantiarum varietatem, definiiri vix possint, in huiusmodi ca-

di casibus Iudicis cuiusque arbitrio, secundum facti, & personarum qualitates, multum relinqui debet, iuxta supra cit. l. aut facta.

Solet quidem interdum in lege speciatim designari, quoniam v. g. metus grauis, quæ atrox iniuria censenda sit, aut quænam sufficientia ad torquendum reum indicia; sed id ferme tantum exempli loco fit, vt videre licet in criminali Caroli V. Cæsaris processu Iudicibus præscripto, & videri possunt, quæ docui mor. Theol. lib. 1. tr. 2. c. 6. n. 5. Iudex verò iis, quæ lege definita sunt, diligenter consideratis, ad paria, seu *similia procedere* inde, *arg. ita ius dicere debet*, l. non possunt 11. ff. de legibus.

- 17 Addunt porro Abb. hic n. 15. Fel. n. 54. & alij, Si casus neque per leges, neque per consuetudinem seu Curie stylum, decisionem habeat, quod Iudex in iudicando adherere debeat Doctorum opinioni communi. Ratio est: quia Iudex, cum inter partes litigantes arbiter constitutus, quid vel quantum cuique iuris competat, definire debeat, quæ probabiliora, seu veritati ac iustitiæ magis consentanea sunt, sequi cogitur, vt docui lib. 1. Theol. moral. tr. 1. c. 5. n. 16. Sententia autem, cui plerique seu communiter omnes in eo genere periti adherent, probabilior & veritati magis consentanea est: Ergo Iudex in iudicando eam sequi cogitur.

- 18 Limitari, seu declarari debet, Quod interdum vnius Doctoris sententiam v. g. Bartoli, aut Abbatis Panormitani, alij plurimi, sine maiore aliqua examinatione sequantur. Tunc fieri potest, vt ea per nouas, ac solidas rationes de falsitate ab vno, aut pluribus Doctoribus conuicta sit, adeoque pauciorum sententia præferri non immerito possit, vt aperte indicatur in l. 1. C. de veteri iure enucleando, ibi: *sed neque ex multitudine authorum, quod melius est, indicatore, cum possit vnus forsitan & deterioris sententia & multos & maiores aliqua in parte separare*, vbi Gl. marginalis ait, *Ponderanda sunt sententia, non numeranda*. Consentire videtur c. Capellanus 4. de feriis.

- 19 Deinde limitat hic Felin. n. 54. post Bar-

tolum in l. vt vim 19. n. 8. ff. de iustitia & iure, quod auctoritas Glossæ contra opinionem communem præualet. Quæ tamen limitatio non placet, quin potius ita dicendum: Licet magna, & si cætera paria sint, maior sit Glossæ, quàm alterius Doctoris auctoritas, quippe cum digna iudicata fuerit, vt ad canonis aut legis declarationem, in iuris corpore poneretur, nulla tamen Glossæ ratio habenda est, contra quam alij plerique Doctores sentiunt, eiusque doctrinam per iura & rationes reprobant. Quæ de re videri potest Zasius singular. respons. cap. 7. quem refert & sequitur Gaill lib. 1. obseruat. pract. obs. 153. n. 7. & 8. reprehendentem eos, qui ab vno homine, videl. Accursio, sæpenumero lapsi, constitutionis intellectum pendere existimant. æquitate, literâ & naturâ eius posthabitis.

Quædam hinc obiter adijcienda: I. Quod 20 And. Gaill admonet cit. n. 8. Glossam inaniter allegari absq; textu, si ipsum ius expressum habeatur. Quæ reprehensio etiam in eos cadit, qui Doctorum auctoritates cumulant, prætermisso canone aut lege, ex qua tota doctrina accepta est.

II. Ex Felino hic n. 55. Si Glossa plures 21 opiniones referat, censendam esse approbare postremam, nisi aliud ex verbis eius colligi possit. Quod etiam de aliorum Doctorum scriptis sentiendum est.

CAPITVLVM II.

Cognoscentes.

PARAPHRASIS.

Qui culpâ caret, damnum aliquod sustinere nõ debet. Quare lex de nouo promulgata ad facta præterita, seu antecedentia non extenditur; ne alioquin legis prohibitionem, (aut præceptionem) ignorantes, detrimentum aliquod incurrant.

SVMMARYM.

1. Res, quæ culpâ caret, in damnum vocari non conuenit, nisi inter contrahentes conuentum sit, vt etiam casus fortuitus & inculpatus præsterur, aut ob publicâ bonum

bonum aliquis etiam sine culpa iure suo priuetur.

2. Lex lata ad presentia se non extendit, sed tantum ad futura.
3. Lex inuincibiliter ignorantem non obligat ad culpam, nec pœnam. secus est, si sit irritans, quæ effectum suum consequitur etiam erga illos, qui post sufficientem promulgationem, eam inuincibiliter ignorant.
4. Alleganti ignorantiam legis non creditur in foro externo, nisi eam demonstret, cui non obstat regula Iuris 47. in 6. Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur; recipit enim plures limitationes.
5. Si legis ignorantia demonstrari nequeat, possit autem coniecturis semiplene probantibus ostendi, in supplementum iuramentum deferri potest à Iudice.
6. Ignorantia naturalium legum non præsumitur, aut allegata admittitur, nisi ostendatur mentis impotem aliquem fuisse, aut infantem, aut intellectu non ita perspicacem esse.
7. In foro conscientie creditur dicenti pro se, & contra se, accusanti & excusanti; dummodo de contrario non constet.

Capitulum hoc sumptum est ex Gregorio I. Papalib. 7. registri, indi. 2. ep. 35. ad Fortunatum Neopolitanum Episcopum. Continet autem tres regulas, siue annotanda, quæ in Glossâ hîc colliguntur.

Primum est in textu, *Rem, quæ culpâ caret, in damnum vocari non conuenit.* Quæ tamen regula limitari debet primò; Nisi inter contrahentes aliquos conuentum sit, ut non culpa tantum, sed etiam casus fortuitus, & inculpatus præstetur, v. g. à commodatario, e. vn. de commodato. Secundò; Nisi ob publicum bonum, aliquis, absque culpa, iure suo priuetur. Quandoquidem Magistratus, præsertim supremus, de bonis priuatorum ex graui publica causa disponere potest; cum bonum priuatum bono publico, tanquam vniuersaliori & præstantiori posthaberi debeat. Quâ de re supra dixi tit. præc. c. 2. n. 3. & infra dicendum in c. Quæ in ecclesiarum,

hoc tit. Videri potest Mart. Nauarr. in c. Aut facta §. Euentus. n. 9. ver. Tertiò, d. 1. de pœnit.

Alterum. Lex lata ad futura negotia refertur, ad præterita autem se non extendit. De hoc dicitur in c. vlt. hoc tit.

Tertium. Lex ignorantes non constringit, ut etiam habetur in c. 2. eod. tit. in 6. Intelligi autem id debet de ignorantia probabili, & inculpata, & lege quatenus obligatoria est: Ut proinde sensus sit, quòd inuincibiliter & inculpate ignorantes alicuius legis promulgationem, eam non astringuntur, siue ad culpam, siue ad pœnam, iuxta c. 1. de concess. præbendæ, in 6. Nam ignorantia tollit voluntarium: sine voluntario autem non est culpa; consequenter nec pœna locum habet; quòd quidem culpa & pœna correlata sunt, ut colligitur ex c. satis peruersum 7. d. 56. & reg. 13 1. ff. Quare transgressio legis probabiliter ignoratæ materialis, non formalis censeri debet. Videri potest Nauar. lib. 1. cõsil. 1. de constitut. Suarez lib. 5. de legibus c. 12. n. 3. Mol. tract. 5. de iustit. disp. 7 1. n. 9. & seqq. & quæ docui lib. 1. Theol. moral. tr. 4. c. cap. 2. & 20.

Secus autem sentiendum de lege infirmante aliquem actum, v. g. contractum, nisi secundum præscriptam formam institutus sit: Ea enim lex effectum consequitur etiam erga illos, qui post sufficientem promulgationem, inuincibiliter ignorant. Exempli causa, si quis ex inuincibili ignorantia matrimonium contrahat cum consanguinea, aut affine sua intra quartum gradum, à culpa quidem immunis est, matrimonium tamen non subsistit. Ita annotauit præter alios hîc Henr. Boich. n. 2. & docui in cit. c. 2. n. 7.

Quæritur hoc loco; Num alleganti legis latæ ignorantiam in foro externo credendum sit? Videtur affirmandum ob reg. iuris 47. in 6. *Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.* Ratio huius regulæ est; quia scire est actus positiuus; nescire autem quid negatiuum, seu priuatiuum: At qui affirmanti aliquid actum esse, probandi necessitas incumbit, non ei qui negat, l. 2. ff. de probat. l. actor 23. C. eod.

B

Sed

4 Sed contrarium est dicendum ex communi doctrina, quam tradit Gl. in c. 2. ver. non probatur. d. 2. Ignorantiam legis aut edicti publici alleganti non esse fidem habendam, nisi illam demonstrat, ut colligitur ex c. ult. Qui matrimonium accusare possunt. Ad regulam iuris responderi debet, eam plures limitationes recipere, quarum prima est, Quod factum proprium aliquis ignorare, aut oblitus esse non presumitur, iuxta c. ab excommunicato 41. de rescriptis: Nisi interdum obtemporis transacti diuturnitatem, ut docet Ioseph. Mascardus de probat. concl. 879. n. 40. Altera, Si quis dicat se nescire ea, quae scire ad officium suum pertinent, audiendus non est, iuxta c. innotuit, 21. de elect. Tertia limitatio ad propositum nostrum est, si quis dicat se nescire ea, quae publice gesta sunt: Quamobrem si lex in loco publico legitime promulgata est, & multo magis, postquam in communem observationem devenit, eius ignorantiam alleganti fides non habetur, iuxta c. 1. de postul. Prælator. & supra cit. c. ult. Qui matrim. accus. possunt. ibi, *Cum rationabiliter presumatur, quod denunciationem publice factam, idem existens in ipsa diocesi minime ignoravit. &c.*

Verumtamen hæc res ita in presumptione iuris consistit, ut interim aduersus eam admittatur probatio in contrarium, si videlicet, aut verisimilibus coniecturis legis latæ ignorantia ostendatur, admittenda tunc erit excusatio. Id vero variis modis accidere potest: I. Si ius valde abstrusum, ac paucis, & non nisi valde doctis cognitum sit, eius allegata ignorantia probabilis, & à pœna reuocabilis videri potest, sicuti ex communi docet Mol. cit. disp. 71. n. 10. vers. Quia re vera. II. Si quis inter homines non habitauit, aut in carcere conclusus fuit, ut credibile sit, legis notitiam non accepisse, ut annotauit Boich hinc n. 6. III. Si quis absens fuerit à diocesi, prouincia, aut ciuitate, in qua lex promulgata est, ut colligitur ex cit. c. ult. & tradit Gl. fin. hinc, & bene declarat Abb. n. 10. Qui rectè etiam docet, in constitut. Imperatoria scientiam præsumi post lapsum duorum mensium à die factæ promulgationis in prouincia,

iuxta Auth. Ut factæ nouæ cõstitutiones &c. collat. 5. At vero in legibus Pontificiis, vel statutis inferiorum legislatorum, tempus præsumptæ scientiæ, seu exclusæ ignorantie, arbitrarium esse, consideratà loci distantia. Vide quæ docui lib. 1. Theol. moral. tr. 4. c. 2. IV. In quibusdam personis, vid. muliere, milite, Minore annis xxv. simplici agricola, facilius est coniectura, eos legem publicam inculpatè ignorasse, uti docui eod. tr. 4. cap. 20. n. 7.

His adde, si legis ignorantia non certis, sed verisimilibus tantum, siue semiplenè probantibus coniecturis ostensa sit, in supplementum deferri à Iudice posse iuramentum, argum. supra cit. c. ult. c. vt circa 4. c. nulli 8. de elect. in 6. & tradit Gl. in c. 2. ver. non probatur. d. 82. Abb. hinc n. 9. Felin. n. 11. Gaill lib. 2. obser. pract. obs. 148. n. 23. & seqq. Molin. cit. disp. 71. n. 3. Ob regulam communiter receptam Gl. in c. si verò aliquis 4. ver. propria manu, de sent. excomm. Quod ea, quæ occulta sunt, aut in animo consistentia, cum aliam dilucidam plerumque probationem habere non possint, per iuramentum confirmari debent.

Porro naturalium legum ignorantia inuincibilis multo minus presumitur, aut allegata admittitur, cum eæ naturaliter cognitæ, & in mentibus hominum veluti inscriptæ sint: Nisi ostendatur, aliquem mentis impotentem fuisse, aut infantem, aut non ita intellectu perspicacem, quin legem naturalem, non valde conspicuam, probabiliter ignorare potuerit, v.g. contractum aliquem, qui in loco aliquo passim celebratur, & à viris quibusdam doctis approbatur, iniquum & vsurarium esse. Qua de re Mol. cit. disp. 71. o. 14. In foro autem conscientie creditur dicenti pro se, sicuti & contra se, excusanti, sicuti & accusanti, dummodò de contrario non constat.

CAPITVLVM III.

Translatio.

SUMMARIVM.

1. Quod de uno connexo statuitur, ad alia quoque.

- quod, connexa extendi debet; quod exemplis declaratur.
2. Hinc regula illa: Casus omiffus Iuris communis dispositioni relinquitur, non habet locum in connexis.
 3. De similibus idem iudicium fieri debet, vti & idem ius, vbi eadem ratio.
 4. Extensio legis alia est, proprie dicta, & vocatur extensio, alia improprie dicta, quam vocant comprehensivam, siue inclusivam.
 5. Extensio comprehensiva legis non tantum favorabilis, sed etiam odiosa aut pœnalis, ob adequatam rationis similitudinem seu identitatem, tam extra quam intra iudicium rectè fieri potest, ac debet.
 6. Extensio extensiva obrationis, maximè in lege expresse identitatem rectè fit à Iudicibus, & talis etiam fieri ab iis debet ex precepto.
 7. Extra iudicium & in foro Conscientie Extensio hac proprie dicta in ordine ad obligationes pariendas fieri non potest; potest autem in omni foro in ordine ad facultatem agendi, & liberationem à legis obligatione.
 8. Occasio huius doctrina in hoc c. à Gregorio IX. tradita.

In hoc proponuntur verba ex c. 7. epistolæ ad Hebræos, & subiicitur interpretatio Glossæ ordinariæ ibidem. Verba epistolæ sunt: *Translatio sacerdotio, necesse est ut & legis translatio fiat.* Quibus verbis S. Apostolus Paulus ostendit Iudæis, cum Araonicum sacerdotium à Deo sublatum fuerit, tanquam imperfectum, atque perfectius Christi sacerdotium secundum ordinem Melchisedech successerit, vti promiserat Deus Psal. 109. v. 4. hinc consequens esse, quod etiam lex Mosaica cæremonialis & iudicialis cessarit, atque noua Euangelij lex seruanda sit. Interpretatio autem Glossæ ordinariæ super c. 7. v. 12. ad Hebræos, talis est: Quando duo inter se connexa sunt, quod de vno statuitur, etiam de altero statutum censi debet. Siue, quando aliquid legitima auctoritate conceditur, vel

aufertur, censi debent etiam ea concessa, vel sublata, quæ cum illo connexa sunt. Atqui cum summo sacerdotio connexa est lex; siquidem ad summi Pontificis potestatem ac munus pertinet legem interpretari, populo proponere, præcipere item ac vetare, iuxta dictum Christi apud S. Matth. cap. 23. v. 2. & 3. *Super cathedram Moysi, sederunt Scribae & Pharisei: Omnia ergo quaecunque dixerint vobis, seruate & facite.* Quamobrem simul etiam ab eodem Deo, eadem sponfione, per Moysen, in monte Sinai, sacerdotium & lex populo Israelitico data sunt. Itaque sublato sacerdotio Araonico seu Leuitico, sequitur, quod & lex vetus Mosaica censi debeat abolita.

Notandum vn. Quod de vno connexorum statuitur, ad alia quoque connexa extendi debet. Hæc est summa huius c. sumpta ex Ioann. Andr. Abb. Felin. & aliis. Aliter etiam dici solet, quod connexorum idem est iudicium, apud Felin. hinc. 6. Gail lib. 1. obseruat. 35. edit. nouiss. Exempla multa afferri possunt: I. Si alicui iurisdictio commissa sit, exerceri ea etiam potest in accessoriis & connexis, c. præterea 5. de off. delegati, & l. 2. ff. de iurisdict. omnium iudicium.

II. Dispensatio, licet alioquin sit stricti iuris, tamen ad connexa extenditur, vti ex communi tradit Nauarr. consil. 3. de rescript. edit. 2.

III. Dux belli, seu Legatus à Principe constitutus, eo inconsulto, expedire potest quæ ad belli bonum statum necessaria esse videntur, v. g. inducias cum hoste pacisci, saltem ad tempus breue, vti docet Felin. c. ex literis n. 20. de rescriptis.

IV. Regula illa, quod casus amiffus manet in dispositione iuris communis, locum non habet in connexis: quod enim connexum est, omiffum censi non debet, vti docent Baldus hic & Felin. n. 6. Gail cit. obs. 35. edit. nouiss.

V. Procurator, alijsue mandatarius, agendo ea, quæ connexa sunt mandato, non excedit fines mandati. Nam cui committitur vnum, censetur etiam committi id omne, ad quod peruenitur ad illud; siue, sine quo il-

Iud ritè obtineri non potest. Ita Felin. hic n. 6. Gail l. c.

VI. Si Episcopus Vicarium generalem constituens vnâ eademque commissione, det ipsi potestatem iure ordinario competentem, insuper verò quasi accessoriè quosdam casus speciales, alioquin delegabiles, committat, cenferi debet eum constituere Iudicem ordinarium quoad omnia. Ita allegato hoc c. tradit Th. Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 29. n. 8. Cùm enim, inquit, hæc potestas simul ab eodem conferatur, sicut principalis ordinaria est, ita & potestas ei cõnexa.

Glossa hic ver. *Quod de vno*, regulam tradit communiter approbatam, quòd *de similibus idem iudicium fieri debet*. Neque necesse est, vt res vna alteri similis sit quoad omnia; sufficit, si similes sint quoad id, in quo comparantur seu æquiparantur, prout hic bene annotauit Felin. n. 10. Ita multa, quæ in iure de seruis, aut filiis, statuta sunt, trãferuntur ad Religiosos; Et quæ de libertis statuta sunt erga patronum, ad vassallos erga dominum, vt notauit inter alios Iacob. Menoch. de remed. possess. remed. 1. n. 98.

Huc etiam spectat, quod DD. communiter tradunt cum ead. Gl. & alia Gl. in l. illud 32. ver. existimari, ff. ad L. Aquil. *vbi eadem ratio est, ibi idem ius esse debet*. Quæ res non parùm difficilis est, & variè disputata à Doctoribus, vt videre licet apud Suarez de legibus lib. 6. cap. 3. & 4. & in Theol. morali lib. 1. tr. 4. c. 18. quomodo videl. lex vna propter similitudinem aut identitatem rationis, præsertim expressæ in lege, ad alios casus 4 extendi possit, aut debeat. Suppositis iis, quæ ibi docuit, in primis distinguere oportet inter extensionem legis propriè dictam, quam aliqui *extensiuam* vocant; & impropriè dictam, seu *comprehensiuam*, siue *inclusiuam*. Extensio extensiuam est, si legis alius decisiõ transferatur ad alium casum, vel personas non tantùm vltra verba legis, sed etiam vltra mentem legislatoris; quamuis non contra mentem. Extensio comprehensiuam, siue inclusiuam, si decisiõ legis transferatur ad alium casum, vel personam non comprehensam sub verbis, comprehensam

tamen in mente, prout habetur in l. scire 15. §. aliud ff. de excusat. tutor. ibi, *Et si maxime verba legis hunc habeant intellectum, tamen mens legislatoris aliud vult*. Et hanc non esse propriè extensionem, monuit Felin. c. super quæstionum n. 3. in fine, de off. deleg. *Quod venit à mente, inquit, non est extensio*. Eò quòd præcipuum in lege sit mens siue intentio legislatoris, quomodo cunque perspecta ex lege: Ideò que quod secundum mentem est, satis in lege comprehensum cenferi debet.

Deinde distinguere oportet inter leges, quatenus ad vsum forensem pertinere possunt; & quatenus extra iudicia earum vis & valor existit, siue ad obligationes creandas, siue ad facultates concedendas, &c.

Dico itaque primò; Extensio comprehensiuam legis non tantùm fauorabilis, sed etiam odiosæ, aut poenalis, ob adæquatæ rationis similitudinem seu identitatem, tam extra quàm intra iudicium, rectè fieri potest ac debet. Ita pluribus allegatis Suarez cit. c. 4. n. 2. & sumitur ex c. si postquã 33. §. si verò electus. de elect. in 6. Probat: Nã hoc ipso quòd aliquid est ex mente legislatoris, atq; comprehensum in lege, obligationes aliòsq; effectus legis in omni foro sortitur. Neque aliud discrimen est inter legem fauorabilem & odiosam; nisi quòd interpretatio extensiuam vltra externam verborum corticem, sed intra præsumptam legislatoris intentionem faciliùs fieri potest in lege fauorabili, quàm in odiosa, sicuti docui in cit. c. 18. n. 9. & 10.

Exempla huius extensionis habemus in suprã cit. l. scire §. aliud, Et in l. si quis id 7. ff. de iurisd. omn. Iudicium, vbi habetur, legem eam, quã cauebatur, si quis Prætoris edictũ in albo propositum corrupisset, vt aureis quingentis mulctaretur, ob similitudinem rationis in eo etiã locum habere oportere, qui antequam proponeretur, vel dum proponebatur, corrumpere ausus fuit. Quia licet verba edicti cessent, sententiam tamen eius ad hunc quoque porrigendam, Pomponius censuit. Aliud exemplum in l. cùm mulier 49. ff. soluto matrimonio &c. vbi postquam lex proposita fuisset, *Cùm mulier viri lenocin*

lenocinio adulterata fuerit, nihil ex dote retinetur à marito: Cur enim improbet mores, quos ipse aut ante corrupit, aut postea probauit: Subiugitur à Iureconf. Si ex mente legis sumet quis, ut nec accusare possit, qui lenocinium uxori praeberit, audiendus est. Vide, si placet, Nauarr. rubr. de iudic. n. 72. & seqq.

6 Dico II. Extensio legis propriè dicta, siue extensio ob rationes, praesertim in lege expressæ, identitatem, à Iudicibus rectè fit, imò vt talem extensionem faciant, ipsis præceptum est, vti habetur in l. 11. ff. de legibus. *Non possunt omnes articuli sigillatim aut legibus, aut senatusconsultis comprehendere, sed cum in aliqua causa sententia eorum manifesta est, is qui iurisdictioni praesit, ad similia procedere, & ita ius dicere debet.* Confètit c. inter caeteras 4. de rescr. Exemplū habes in c. cum dilecta 4. de confirm. vtili, vbi Innoc. III. in quadam controuersia iudicando, perpendit iure ciuili statutum, & canonico receptum esse, vt testes, etiam ante litis contestationem, recipiantur, si de morte eorum timeatur, c. vlt. in princ. vt lite non contestata &c. Atque hinc, ob æquitatis similitudinem, per propriè dictam extensionem concludit, priuilegiorum instrumenta, si de eorum corruptione timeatur, lite nondum contestata, renouanda esse.

7 Dico III. Extra iudicium, siue in conscientiae foro extensio legis propriè dicta in ordine ad obligationes pariendas, locum nullum habere potest. Ita bene docet Suarez cit. lib. 6. cap. 3. num. 9. Probatur inde: Quia impossibile est, vt lex obliget ad id, quod in ea non est præceptum: Id autem quod in lege nec secundum verba, nec secundum mentem, adeoque nullo modo comprehensum, non est præceptum: Ergò &c. Dixi autem, in ordine ad obligationes pariendas, At verò in ordine ad facultatem agendi, liberationem seu exceptionem à legis obligatione, praesertim sine præiudicio alterius, extensio talis ob rationis identitatem in omni foro fieri potest. Sic dicunt DD. communiter, quòd exceptio adiecta legi non ita confirmet legem in aliis casibus, quò minus exceptio ad alium casum ob rationis omni-

modam similitudinem extèdi queat, argum. cit. c. cum dilecta, Abb. in c. cum omnes n. 7. hoc tit.

Quæret aliquis, Quà occasione, aut proposito huius c. doctrina à Gregorio IX. hic posita fuerit? Arbitror, eo consilio, vt ostenderet Papa, abolitâ lege veteri, vnâ cum Sacerdotio Araonico, amplectendam nunc, seruandamq; esse legem Christi, summi à Deo Patre constituti Sacerdotis, ac legislatoris: Qui etiam in Sacerdotio, cum potestate leges interpretandi, quin & condendi, ac præcipiendi, visibilem in terris Vicarium constituit S. Petrum Apostolum, cap. 16. Matth. v. 16. & seqq. Intentio itaque Pontificis fuit, commendandi fidelibus, vt tum interpretationes, tum noua decreta à Rom. Apostolica Sede profecta, reuerenter suscipiant & obferuent.

CAPITVLVM IV.

Nam concupiscentiam.

SUMMARIVM.

1. *Leges humana obligant sub peccato, nisi sint merè pœnales.*
2. *Quarundam Religionum regula (quatenus non versantur circa obseruantiam votorum) per se sub peccato non obligant, vt Dominicanorum, & Societatis IESV, neque aliarum Religionum, vt Minorum de Obseruantia regula quoad omnia in iis contenta sunt de præcepto.*
3. *Quenam autem obligent, vel non, colligi debet ex materia, fine, & verbis regule, ex Maiorum traditione, consuetudine, & piorum hominum sensu & persuasione.*

Aceptum est istud c. ex Gl. ordinaria Apist. ad Roman. super ea verba vers. 7. *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces.* Intentio autem Gregor. IX. Pontificis est, vniuersim ostendere, leges bonas, atque vtilis hominibus esse. Nam id bonum est, quo prohibetur malum: lege au-

tem prohibetur malum; Imò omnia mala legibus vetantur. Id verò inde probatur: Si enim lex prohibet originem, ac veluti radicem omnis mali, sequitur quòd prohibeat omne malum: Atqui lex prohibet concupiscentiam, seu cupiditatem, quæ origo est ac veluti radix omnis mali, testante Apostolo ep. 1. ad Timoth. c. 6. v. 10. *Radix enim omnium malorum est cupiditas.*

Disputant hinc Canonistæ, utrùm leges humanæ obligent sub peccato? Respon. est affirmatiua, cum S. Th. 1. 2. q. 96. a. 4. & constat ex definitione legis, quam tradidi lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. 14. Quòd sit *recta ratio agendorum, à publica potestate Communitati denunciata, cum voluntate eam perpetuò obligandi.* Ex quo ita argumentari licet: Omnis propriè dicta lex iustum ac rationabile quoddam magistratûs præceptum est, Cõmunitati, seu multitudini hominum subiectorum, datum: Præceptum autem quodlibet magistratûs, si iustum est, in conscientia obligat subditos ad obediendum, teste S. Paulo Apostolo ad Rom. c. 13. v. 1. & seqq. Ergo &c. Exinde colligitur, quòd regulæ & ordinationes quarundam Religionum per se non obligantes sub peccato, non sunt propriè leges, sed monita quædam: Habent tamen similitudinem quandam legum; partim quia ab habentibus publicam potestatem, propter publicum bonum, ad subditos latæ sunt; partim quia & ipsæ plerumque continent obligationem aliquam, videl. pœnæ acceptandæ, si earum transgressoribus per Superioris præceptum imponantur. Cuiusmodi leges merè pœnales, id est, non sub culpa, sed ad pœnam duntaxat, si Superioris præcepto imponatur, sustinendam, multas etiam in ciuili Repub. esse, negari nõ potest. Quænam autem eæ sint, ex materia, fine, modo ferendi, aliisque circumstantiis cognosci posse, dixi Theol. mor. lib. 1. tr. 4. cap. 15.

Dixi autem supra: *Quarundam Religionum regulas* (quatenus eæ non circa votorum obseruationem versantur) per se nõ obligare sub peccato, v. g. Dominicanorû, Societatis nostræ. Sed neque in aliis Religionibus, v. g. Minorum de Obseruantia, omnia

quæ in regula continentur, sub culpæ reatæ præcepta esse, tradidit Eman. Rodriq. regular. qq. q. 50. a. 1. Abbas hinc n. 2. & 3. Quare, quænam regulæ earundem Religionum sub peccato, mortali aut veniali obligent, & quæ non ita obligent, partim ex materia, fine, & verbis regulæ colligi debet; partim ex Maiorum traditione, consuetudine, & piorum hominum sensu ac persuasione. Vide etiam quæ docui Theol. mor. lib. 4. tr. 5. cap. 9.

CAPITVLVM V.

Ne innitaris.

SUMMARIVM.

Sacri canones à Patribus accepti, relicto proprio sensu, obseruari debent.

Sumptum est hoc c. ex Gl. ordinaria cap. 3. Prouerb. quæ explicans verba Salomonis cit. cap. v. 5. *Ne innitaris prudentia tua, subiecit; Prudentia sue innititur, qui eam quæ sibi agenda, vel dicenda, videntur, Patrum decretis preponit.* Hæc autem id eò à Gregorio IX. Pontifice allata sunt, vt iterum commendaret sacrorum canonum statuta, quæ à Patribus per Ecclesiæ traditione accepta, posthabito proprio sensu, Christianis omnibus obseruanda sunt, iuxta eam quæ supra dixi cap. 1. hoc tit.

CAPITVLVM VI.

Cum omnes.

PARAPHRASIS.

Canonici Ecclesiæ Trecentis statutum fecerunt, vt ipsi quidem, sicuti hæctenus in ecclesia illa consuetudo obtinuit, redditus percipiant etiam in absentia; siue nõ residentes: at verò deinceps qui instituerentur Canonici, redditus non acciperent, nisi residerent. Statuerunt etiã, vt vineæ, quæ hæctenus singulis Canonicorum præbendis annexæ erant, suis quidem, dum viuerent, annexæ manerent, sin autem vitâ decederent, vineæ ad Successoras, seu nouos Canonicos non transfirent, sed earum redditus inter Canonicos omnes diuiderentur.

Vtrum

Vtrumque Statutum Innocentius III. iudicauit iniquum esse, ideoque non obseruandum. Quare mandat, vt iuniores Canonici antiquioribus in redituum perceptionibus adæquentur, secundum consuetudinem vsque ad illud tempus in ecclesia Trecenti obseruatam, vel secundum aliam obseruationem, si quæ in posterum rationabiliter instituta fuerit. Causam suæ sententiæ affert Pontifex, quia lex cum sit commune præceptum, non priuato commodo, sed pro communi vtilitate constituta esse debet iuxta legem 1. ff. de legib. cap. 2. dist. 4. Constitutio autem illa Canonorum priuatum commodum fouebat, non commune Capituli & Ecclesiæ bonum respiciebat. Si enim Capitulo communiter vtilis esset constitutio, etiã ipsi seniores Capitulares eo comprehendi vellent. Quare bene Pontifex huc accommodat Catonis dictum: *Patere legem quã in ipse tuleris*: & Prætoris æquissimum Decretum lib. 2. ff. tit. 2. *Quod quisque noui iuris in alterum statuerit ad in ipsius quoquo persona ualere patiatur.*

SUMMARIUM.

1. Capitulum Episcopo viuente, absque eius consensu nihil statuere, vel nouare potest, nisi in causis minoribus, & ad Capitulum propriè spectantibus: quo casu, statuta huiusmodi etiam pœnam adicere potest.
2. Horum autem statutorum Executio vt expeditior sit, consultum est, & ferè consuetum, vt inter statuentes iuramento confirmantur, & ab Episcopo approbentur.
3. Capitulum consuetudinem receptam contra ius commune, v. g. nõ residendi absq. Episcopi auctoritate, tollere non potest, nisi damnosã effectũ sit, aut in fauorem à Sede Apostolica per priuilegium concessa.
4. Iniquum est statutum alicuius Collegii aut Vniuersitatis, quo aliqui magis, quàm alii, qui tamè aequalis iuris sunt, grauantur.

5. Ligantur statuta ad Cõmunitatem latus ipsi etiam statuentes; Magistratus tamè summi, vt Imperator, Rex, Principes minus strictè, nec per se, & directè, vt minores Magistratus & subditi.
6. Obligantur his statutis non minus etiã Propositus aut Decanus, quàm alij Capitulares.
7. Episcopus cum consensu Capituli, vel Cleri statuere potest, vt Canonici vel alij Beneficiariis iuxta priorem antiquam consuetudinem, relicta non residendi libertate, qui deinceps instituendi erunt, omnes residere cogantur, ad effectum fructuum percipiendorum.
8. Simile statutum fieri potest in Generalibus Capitulis, seu Congregationibus.

NOTANDVM I. Consuetudine inmemoriali introduci potuit, vt Canonici vel similes Beneficiarii, etiam absentes, fructus beneficii sui perciperent. Ita Gl. fin. hie, & tradit Abb. in c. extirpandæ 30. §. Qui verò, vbi de hoc dicam de Præbend. & sumitur ex textu huius c. Si quidem Papa eam Trecenti. Ecclesiæ consuetudinem reprobendam non esse, duxit.

Porro quid iure nouo Trident. de Canonorum residentia decretum fuerit, vt non liceat eis vltra tres menses in anno ab ecclesia abesse, remoto quolibet statuto, aut consuetudine, videri potest in sess. 24. cap. 12. de reform. De Episcoporum & Parochorum residentia sess. 23. cap. 1. de reform.

QVAESTIO EST, Vtrum Capitulum Trecenti eam non residendi antiquam consuetudinem, contrario edito statuto, tollere potuisset?

Resp. & Dico I. Accedente auctoritate Episcopi, dubium non est, quin tolli potuisset. Nam tale statutum Ecclesiæ vtile est, & conforme iuri communi, vti constat ex tit. lib. 3. decret. de clericis non residentibus.

Dico II. Absque consensu & auctoritate Episcopi non potest Capitulum tale statutum condere. Ita hic Innocent. Ioan. Andr. Imola, Abb. Panormit. & alii, quamuis contrariũ placuerit Folino n. 7. Nam Capitulum Cathedralis (spectato cõmuni iure, & seclusis specialibus priuilegiis, ac consuetudinibus)

bus) Sede Episcopali non vacante, spiritua-
lem in Ecclesia iurisdictionem non habet:
Ergo absque Episcopi auctoritate condere
non potest leges & statuta, quibus ecclesie
status, antiquæ consuetudines, aut iura mu-
tentur, prout etiam Abb. annotauit in c. quo-
niam, prope finem, de vita & honest. cleri-
corum, Suarez de legibus lib. 8. c. 6. n. 11. ar-
gum. c. cum accessissent 8. hoc tit. & sumitur
ex c. cum consuetudinis 9. de consuet.

Minora tamen, quæ pertinent ad bonum
ordinem, & regimen Capituli, eorumque
quorum administratio Capitularibus pro-
pria est, statuere possunt, etiam non interue-
niente Episcopi auctoritate, prout ex com-
muni docui lib. 1. Theol. mor. tr. 4. c. 7. n. 10.

Dubium verò est, num statuto huiusmo-
di, secundum maioris partis suffragia, etiam
pœnam adijcere possint? Videtur esse ne-
gandum: Nam pœnam imponere, iurisdic-
tionis est: Cum itaque Capitulum iurisdic-
tione careat, sede non vacante, sequitur, quòd
nec pœnam decernere queat.

Sed arbitror affirmandum, ob regulam re-
ceptam, quòd quicunq; statuta edere pos-
sunt, ij etiam pœnâ intra terminos potestatis
sue adijcere valeant; quia id consequens,
connexum, ac sæpe necessarium sit ad legis
executionem, idque sumitur ex l. 1. ff. Si
quis in ius vocanti non obtemperauerit, &
esse communem doctrinam testatur Felin.
hic n. 14. Steph. Auffrelius in decis. 406. Ca-
pellæ Tholosanæ. Atqui Capitulum Cathedra-
le circa modum, & ordinem eorum, quæ
ipsi propriè cõmissa sunt, statuta facere pos-
se, concors est Doctorum sententia: Conse-
quenter etiam pœnam siue mulctam trans-
gressoribus statuere poterit, prout etiam su-
mitur ex c. cum aliquibus 4. iuncta Glossa
ver. firmitate. de rescript. in 6.

Ad argumentum in partem contrariam
respondetur; Etsi Capitulum Cathedra-
le, absolutè loquendo, non habeat iurisdic-
tionem in ecclesia, quippe cum totius diocesis
Pastor ordinarius Episcopus sit; habere ta-
men partem aliquam, seu potiùs vsum iurif-
dictionis, secundum modum administra-
tionis rerum suarum, siue à Superiore com-

missam, siue consuetudine comparatam. Si-
quidem ipsum Capitulum, quatenus separa-
tè consideratur absque Episcopo, Collegium
siue Vniuersitatem efficit, cum Decanum ha-
beat, per electionem à se constitutum, secun-
dum Ecclesiarum Germaniæ nostræ con-
suetudinem. Videri potest Suarez cit. cap. 6.
n. 11. Idemque eadem ratione sentiendum
de Collegiatis secularibus ecclesiis Episco-
posubiectis.

Cæterum ad omne dubium circa talia sta-
tuta remouendum, consultum est, atque fer-
me consuetum; vt iuramento inter statuen-
tes confirmantur; ijsque qui de nouo in
Collegium recipiuntur, offerantur ad iuran-
dam obseruationem. Deinde, vt Episcopo
tradantur approbata & confirmanda: Sic
enim executio statutorum expeditior fiet, si
Episcopus ad eorum, quæ ipsemet approba-
uit, obseruationem reluctantes compellat.
Quamuis etiam sine Episcopo, aut si Epi-
scopus statutum non approbaret, non desit
Capitulo ad pœnæ statuto adiectæ aliqua
cõpulsionem facere, v. g. per subtractionem re-
dituum ex cõmuni corpore, donec pœnæ fa-
tisfactum sit. Id enim necessarium est, per
modum connexionis, quia cui concessum est
antecegens, eidem & consequens, iuxta ea
quæ suprâ docui in c. translato, hoc tit.

Porro tradita doctrina, quòd Capitulum;
consuetudinem receptam contra ius com-
mune v. g. non residendi in ecclesia, vbi ca-
nonicatus vel præbenda est, absque Episco-
pi auctoritate tollere non possit, limitari de-
bet primò; Si appareat, huiusmodi consue-
tudinem ecclesie damnosam, adeoque ir-
rationabilem effectam esse; quia in cultûs
diuini diminutionem, pietatis & disciplinæ
ecclesiasticæ defectum, bonorum ecclesiasti-
corum dissipationem cedat; tunc relicta ta-
li consuetudine, ad ius commune, edito cõ-
muni statuto, redire concessum est, argum.
c. 1. De ijs quæ fiunt à maiore parte Capi-
tuli. Quippe in hoc casu non tam aliquid
noui statuerent, quàm id, ad quod secundum
ius diuinum & sacros canones obligati sunt,
declararent & reciperent. Nam sicuti ab ini-
tio lex aut cõsuetudo nulla constitui potest,
quæ

quæ irrationabilis, aut Ecclesiæ damnosa est; ita neque durare, aut consistere cum obligandi ratione, si temporis successu manifestè irrationalis ac damnosa efficiatur, iuxta regulam receptam, *Vitiosum aliquid reddi, si in eum casum incidat, in quo non potuisset inchoari.* Siue, *Quod ab initio subsistit, desinit subsistere, si in eum casum incidat, in quo inchoari non potest.* Quare hoc ipso in casu Episcopus, etiã contradicente Capitulo, eiusmodi Ecclesiæ damnosam consuetudinem tollere non prohibetur, prout resoluit Abb. in c. ad audientiam n. 4. de cler. non resid. Felin. hic n. 9.

Secundò limitari debet; Si consuetudo non residendi nitatur privilegio Sedis Apostolicæ in fauorem concessio, Capitulum per renunciationem tollere poterit, vt ius commune obseruetur, sicuti constat ex c. cum accessissent 8. hoc tit. ex quo habetur, Canonicos priuilegio renunciare posse, quod principaliter in ipsorum fauorem concessum est.

4 *Notandum II.* Iniquum est statutum alicuius Collegij, aut Vniuersitatis, per quod alij magis, quàm alij, qui tamen æqualis iuris sunt, grauantur. Hæc est principaliter intentã decisio huius c. Ratio dari debet primò; Quia lex est præceptum, ac veluti sponso quædam communis, ad cuius præscriptum omnes, qui è Communitate sunt, vitam instituire debent, l. 1. & 2. ff. de legibus; Et non priuato commodo, sed pro communi utilitate conscripta, c. 2. d. 4. & docui lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. 1. Constitutio autem, de qua hic mentio fit, in æqualitatem inter Capitulares, qui ex eodem corpore siue Collegio, eiusdemq; iuris sunt, inuehebat; Et non tam commune Capituli, atque Ecclesiæ bonum, quàm priuatum singulorum statuentium commodum respiciebat. Si enim Constitutio Capitulo communiter utilis existimaretur, etiã Capitulares statuentes eã comprehendi vellent. Quare meritò Pontifex accommodat huc Catonis dictum, *Patere legem, quam tu ipse tuleris.*

5 Porro ex hac doctrina colligi videtur; Quòd statuentes per se ac directè, non minùs, quàm alij ex Vniuersitate statuto à se e-

dito comprehendantur, & obligentur. Sed distinguere oportet cum Vdalrico Zasio super l. 1. ff. Quod cuiusq; Vniuersitatis, &c. Nam alij sunt summi, siue maiores magistratus, videl. Imperator, Rex, Principes, & qui regalia habent: Hi statutis suis ad Communitatem latis, non ita per se ac directè, neque tam strictè, vt subditi obligantur, l. digna 4. C. de legibus, & explicauit cit. tr. 4. cap. 9. Alij verò sunt Magistratus, seu statuentes inferiores, qui administrationem aliquam sibi commissam gerunt, non autem dominium iurisdictionis in alios, tanquam subditos exercent. Tales, inquit loco cit. Zasius, sunt magistratus etiam in magnis ciuitatibus, aut oppidis, quæ per decuriones, consules, aut Senatores administrantur, & reguntur. *Hi statuentes statutis suis obligantur: quia si ligatur populus, etiam ipsi, cum & ipsi de populo sint.*

Idemque pari ratione sentiendum de Capitularibus, etiam ipso Præposito, aut Decano, quòd obligentur statutis in Capitulo cõmuniter latis, non minùs quàm alij Capitulares; cum & Decanus sit pars & membrum Capituli, siue vnus è Capitulo; tametsi dignior, aut antecessor: Quare etiam contra eius suffragium, si maior pars Capituli consentiat, statutum condi poterit, sicuti bene notauit Suarez cit. cap. 6. n. 20.

Secundò debet dari ratio dictæ decisionis ex Prætoris edicto, relato lib. 2. tit. 2. ff. *Quod quisq; iuris in alterum statuerit, eodem ipse uti debet. Quis enim aspernabitur,* inquit Prætor l. 1. ff. eod. *idem ius sibi dici, quod ipse aliis dixit, aut dici effecit?* Habet enim rectorio ista locum tam erga statuentes, quàm eos, qui statutum tale impetrarunt, cit. l. 1. Sed & locum habet in pactioibus; vt si tutor, nolens pupillum ab hæreditate debitis grauata abstineret, paciscatur cum creditoribus, vt parte debiti contenti sint, compelli poterit, vt & ipse, si pupilli creditor sit, eadem secundum proportionem parte contentus esse debeat. l. cum in eo, 45. ff. de pactis. Cum generalis regula esse debeat, Quod aliquis æquum censet in aliis, etiam in se æquum censere debet.

C

Exem-

Exemplum declaratorium eius Edicti, *summam*, ut ait Ulpianus in l. 1. ff. Quod cuiusque iuris, & c. *equitatem habentis*, attuli in cit. cap. 9. n. 3. §. Tertium, ex Gl. in ead. l. 1. in casu. Aliud affert Zasius cit. loco: Si in civitate aliqua à Magistratu, seu Decurionibus cautum sit, ne extraneo liceat emere, aut possidere bona immobilia, etiam si titulo hereditatis ea intra fines territorij acquisivisset, sed incolis eius loci vendere cogatur; Tunc decuriones, seu statuentes illi, & qui tale statutum procurassent, per modum retorsionis, alibi bona immobilia ipsi quoque emere aut possidere, sine iniuria, prohiberentur.

7 **QVÆSTIO EST;** Vtrum Episcopus, cum consensu Capituli, aut Cleri, eiusmodi statutum condere possit, ut Canonicis, aliisve beneficiariis, iuxta priorem antiquam consuetudinem, relicta non residendi libertate, qui deinceps instituendi erunt, omnes residere cogatur, ad effectum fructuum percipiendorum? Videtur esse negandum, quia per tale statutum inæqualitas intröducitur inter eos, qui eodem iure censi debent: Et cum Canonici quasi unum corpus, ac Collegium efficiant, non debent diverso iure censi, ait Gl. hinc ver. constitutum, ex c. cum in tua 30. de decim. Nihilominus Canonistæ hic rectè affirmant, Hostiens. Innoc. Ioan. Andr. n. 24. Abb. n. 3. Nam tale statutum, legitimam Episcopi auctoritatem habet, atque rationale, ecclesiæque utile esse potest. Ad argumentum in contrarium respondetur; Inæqualitatem aliquam inter eos, qui eiusdem iuris esse censentur, siue ex eodem corpore sunt, statui posse ex causa rationabili, aut aliqua necessitate, quæ hinc interuenit, Quia suppono, antiquos, seu iam institutos canonicos non facile adduci posse, ut quoad suas personas in nouum, Ecclesiæ utile, statutum consentiant. Accedit, quod Canonicis iuxta antiquam consuetudinem susceptis atque institutis ea mutatio grauis accedit, non ita verò postea recipiendis, quia ipsi ea conditione instituentur, ut iuxta ius commune residere cogantur.

8 Quæ ipsa ratione in generalibus Capitulis seu Congregationibus Religionum, causa

reformationis, statutum fieri potest pro illis, qui deinceps in Ordinem recipiendi erunt, relicta libertate aliis, quibus in professione eiusmodi conditio, aut obligatio proposita non fuit. Caueri tamen debet, ne magna sit diuersitas inter eiusdem Collegij aut Cömunitatis personas: nam *plerumq; reprobatæ duplicitas*, inquit Ioann. Andreas hic.

CAPITVLVM VII.

Quæ in ecclesiarum.

PARAPHRASIS.

Communitas quædam laicorum legem condidit, ut si quis eorum ad inopiam se vergere ostenderit, liberam facultatem habeat alienandi Feudum, quod ab Ecclesia, vel Ecclesiasticis personis possideret. Querelâ ad Innocentium III. delatâ, respondit ille, eiusmodi statutum cötra Ecclesiastica iura directè tendens nullius roboris esse, sed & alienationes seu venditiones feudorum factas absque legitimo Ecclesiasticarum personarum consensu ipso iure irritas esse.

SVMMARIVM.

1. Laici statutis suis non possunt derogare iuribus Ecclesiarum.
2. Vassallus absq; Domini consensu feudum nec licitè, nec validè alienare potest. Si alienet, traditione secuta, eo priuari potest.
3. Communitates nullam iurisdictionem habentes, nullam propriè legem condere possunt; possunt tamen ex conventionione & iuramento aliquid statuere, pertinens ad bonam administrationem aut defensionem rerum suarum.
4. Communitates iurisdictione præditæ possunt intra limites suæ iurisdictionis statutum seu legem condere.
5. Ius naturale etiam Magistratus laicus interpretari potest in rebus profanis & politicis; in spiritualibus interpretatio pertinet ad Ecclesiasticos, præcipuè ad Rom. Pontificem.

6. Legem naturalem præceptivam Magistratus secularis directe mutare non potest.
7. Potest tamen permissivam mutare.
8. Adversus ius gentium præceptivum à Magistratu humano statui nihil potest, addi tamen ei aliquid potest.
9. Statutum fieri non potest præiudicans iuri aliorum absque causa.
10. Potest ex causa iusta & urgente v. g. ob publicam utilitatem.
11. Quæ autem & quanta causa requiratur, prolixè hic & infra docetur.
12. Pontifex liberam habet disponendi facultatem de beneficiis Ecclesiasticis & bonis, aut redditibus Ecclesiarum, non autem de fructibus & redditibus Ecclesiasticorum non superfluis, aut bonis eorum patrimonialibus.
13. Magistratus secularis nequæ, ex plenitudine potestatis quidquam disponere potest circa Ecclesias, personas Ecclesiasticas, & earum bona.
14. Princeps, qui ex iusta causa res privatorum abstulit, tenetur ad compensationem damni, nisi aliunde excusetur.
15. Plenitudo potestatis extendens se ad ius subditis iusta de causa tollendum, est propria supremi Principis, ab eo tamen alteri communicabilis.
16. Plenitudo hæc potestatis in supremo Principe nimium à Legistis exciditur.

NOTANDUM I Laici statutis suis non possunt iuribus ecclesiarum derogare, ut hic, & in c. 1. d. 10. c. 1. d. 96. & c. nouerit 49. de Sent. excomm. ubi est lata sententia excommunicationis contra statuentes: Nunc autem lata est excommunicatio bullaris xv. Si quis decretum in genere, vel in specie, ex quavis causa, & quovis quaesito colore, atque etiam prætextu cuiusvis consuetudinis, aut privilegii, vel aliis quomodolibet fecerint, ordinatis vti fuerint, unde libertas ecclesiastica tollitur, seu in aliquo laeditur, vel deprimitur, aut alias quovis modo restringitur, seu nostris, & dictæ Sedis Apostolicæ, aut aliarum quarumcumque ecclesiarum iuribus quomodolibet, directe vel indirecte, tacite vel expresse,

præiudicatur. Vide quæ infra dicentur in Ecclesia, hoc tit.

Notandum II. Vassallus, absque domini consensu, feudum alienare non potest. Sin alienet, alienatio irrita est; & vassallus eo privari potest; dummodo traditio secuta sit, lib. 2. feudorum tit. 52. de prohibita feudi alienatione, cap. Imperialem.

Dux itaque causæ fuerunt, cur civium Teruisin. constitutio, atque alienationes feudorum inde secutæ irritæ fuerint. I. Quia erant contra iura ecclesiarum, de quibus laici, absque Prælatorum ecclesiasticorum auctoritate & consensu, nihil statuere, nisi sue derogare possunt: siquidem nulla iurisdictio aut potestas se extendere potest extra limites suos, l. vlt. ff. de iurisd. omn. iudicium. II. Quia lege etiam seculari siue Cæsarea, feudum absque domini consensu alienari nequit. Sed sufficiebat Pontifici, ex priorè ratione statutum illud, & factas alienationes improbare: Quia tamen si ponamus, legem à magistratu iustæ ratione edi in ordine ad feuda secularia, ut ea alienare liceat, non tamen tale statutum fieri poterit in ordine ad feuda ecclesiastica, siue quæ ab ecclesiis habentur. Neque excusat hic ratio inopiæ, vel similis necessitas: Quia ratio necessitatis licet quandoque iurisditionem existenterem, nimirum in magistratu seculari erga laicos extendere possit, ut propter eam licitè fiant, quæ alioquin licita non essent, attamen iurisditionem, ubi nulla est, videl. erga clericos, & ecclesias, necessitas dare non potest.

Hac occasione accepta, **Q**UÆRUNT hic Doctores primò; Quanam laicorum Communitas leges, siue statuta condere possit? Respondeo cum Abb. hic n. 5. Suar. de legib. lib. 3. c. 9. post Bart. in l. omnes populi, ff. de iust. & iure. Baldum & alios in l. vlt. C. de iurisd. omn. iudic. Quædam communitates siue plebes sunt, nullam iurisditionem habentes, ut plebs pagi alicui nobili, aut baroni, vel civitatis magistratui subiecta. Et talis communitas statutum facere non potest, quia *facere statutum*, ait Baldus in cit. l. vlt. n. 1. est iurisditionis: Idemque ex communi tradit Auffrer. in decis. Tholosana

nā 406. Guido Papa decis. Gratianop. 631. Possant tamē per modū pacti, aut iuramēti inter ipsos præstiti aliqua statuere, quæ pertinent ad bonā administratiōem, aut defēsiōnē rerum suarū; ideōq; collectam aliquam imponere, sicuti loco cit. differit Guido; ubi admonet primò n. 5. quòd plebi, sine domini aut magistratūs sui consensu, concessum non sit se congregare, tractatus instituendi causa; quia prætextu alicui liciti, v. g. collectæ necessariò indicendæ, quòd illicitum est, machinari posset: Quare ordinariè huiusmodi congregatiōes ac conuenticula suspecta & prohibita esse solent, sicuti etiam notat Ioan. Faber Instit. de rerum diuisione, §. vniuersitatis, Abb. in c. vlt. in fine, de testib. cogendis, arg. l. 1. ff. de illic. collegiis. Secundò admonet. Quia statutum huiusmodi per modum pacti editur, ideò necessarium esse, ordinariè loquendo, vt omnes consentiant; siquidem inuitus nemo cogitur pacisci, aut cōtrahere, aut quòd proprium est, expendere, iuxta Gl. celebrem in l. 2. C. Quæ sit longa consuetudo, prope finem. *Ordinariè dixi*; Si enim necessitas postulare videatur, v. g. vt collecta fiat ad damnum aliquod auertendum, maiori parti minor consentire debet, vt i resoluit idem Guido n. 7.

Quædam verò sunt Communitates iurisdictione præditæ; & hæ secundum modum ac terminos iurisdictionis suæ statuere, siue legem condere possunt. Dico *secundum modum ac terminos*, &c. Nam interdum iurisdictione Communitatis independens est; quia ciuitas, aut populus nullum Superiorem agnoscit, v. g. vrbs Venetorum, Genuensium. Et hi eadem potestate absolutà leges condere possunt, quæ Rex aut Princeps in terris suis. Interdum verò iurisdictione Communitatis dependens est, & modificata, si videl. Communitas aut populus secundum actuale vsum, subiecta sit iurisdictioni Superioris. De his Communitatibus loquitur Zasius in l. 1. ff. Quod cuiusque iuris &c. *Licet magistratibus statuta facere, non solum maioribus sed etiam minoribus, quod Gl. & Bartolus tractant latius. Verum hac doctrina est recepta moribus Germanis; quia vide-*

mus, quòd etiam Decani facultatum, & quælibet infima oppida faciunt statuta.

Et quòd dicit hic de Decanis facultatum, latius accipere ex l. vlt. C. de iurisd. omn. iudicum, ubi Baldus num. 1. *Collegia approbata possunt inter se facere statuta de iis, quæ pertinent ad eorum iurisdictionem. Et n. 2. Si causa vertitur inter artificem, & artem seu collegium, cognoscit Præpositus Collegii. Et n. 3. Qui præsumt istis artibus, siue negotiatoribus, possunt cognoscere de omnibus causis, quæ habent artifices inter se, vel quæ non artifex mouet artificem ratione artis: Extra autem ea, quæ pertinent ad artem, non habent iurisdictionem, nec possunt statuta facere.*

Sed declarari debet primò; Si eiusmodi Collegia Rectorem, seu Præpositum habeant, quòd sine ipso nihil statuere possunt. Idemque eadem ratione sentiendum de Communitate studiosorum, eos absque Rectoris sui consensu nihil statuere posse; præterquàm per modum pacti mutui circa materiam honestam & concessam, vt supra dictum fuit de plebe. Secundò, dictæ ciuitates, Collegia &c. tali modo statuta edere possunt, vt tamē ea Principi seu Magistratui, cui subfūt, subiecta sint: Quare etiā in litibus causam, siue ad duumuiros, seu Præpositos, siue ad maiorem magistratum, videl. Præsidentem, deferre cuiuslibet est, iuxta cit. l. vlt. Videri etiam possunt, quæ docui Theol. mor. lib. 1. tr. 4. c. 8. n. 7.

Corollarium. Hinc patet discrimen inter imperij Romani Duces, Marchiones, Comites, &c. qui à Cæsare regalia habent, eiusque benignitate summum magistratum repræsentant, vt i cit. loco Zasius annotauit; atque supra dictas ciuitates. Isti enim etiam contra communes Cæsareas leges quandoque municipalia statuta pro terris suis condere possunt; dummodò nec Imperatori, nec aliis Principibus, aut populis præiudicantia sint, saluis etiam iis, quæ Principi summo seu Imperatori specialiter reseruata esse solent, sicut Imola hic notat n. 14. At verò ciuitatibus, ac oppidis illis tanta licentia concessa nō est. Num verò ciuitates Imperiales, id est, Imperatori immediatè subiectæ, iura Principis habeant (quòd affirmat Gaill lib. 2. obseruat. 57.

uat. 57. num. 7.) ad me non pertinet discutere.

QVÆRITVR secundò; Quousque se potestas humana in condendis legibus extendat circa ea, quæ naturali, diuino, aut gentium iure statuta sunt. Quæ de re variè loquuntur Canonistæ, uti videlicet apud Hostiens. & Innocent. hic. Abb. n. 8. Felin. n. 2 & seqq.

5 Respondeo & dico I. Magistratus humanus ea, quæ naturalis iuris sunt, interpretari potest; adeò, ut talis interpretandi facultas in rebus profanis ac politicis etiam seculari magistratui competat: At verò in spiritualibus interpretatio pertinet ad Ecclesiasticos Prælatos, præcipuè Rom. Pontificem. Ratio assertionis est; Nam qui declarat, siue interpretatur, nihil immutat, aut de nouo addit, Bartol. in l. omnis populus, in princ. q. 6. Felinus in cap. 1. n. 1. de offic. delegat. & significat Gl. in l. 1. ver. interpretationem, ff. de orig. iuris.

Intellige autem, quod dixi, etiam laicos ius naturale interpretari posse, si interpretatio indubitata sit, v. g. præceptum de homine non occidendo, non comprehendere eum casum, quo necesse sit aggressorem iniustum occidere ob defensionem propriæ vitæ, l. 3. ff. de iust. & iure. Item præceptum de alieno non rapiendo ad eum casum non extendi, quo extrema necessitas compellat. Sin autè dubium existat de legis naturalis obligatione, v. g. vtrum contractus aliquis, spectato naturali iure, illicitus seu iniustus sit, necne, eius rei cognitio ad ecclesiasticos propriè spectat: Eorum enim, Sacerdotum, inquam, est discernere inter lepram & non lepram, siue, inter peccatum & non peccatum. Quæ ratione factum est, ut cognitio de vsuræ crimine Magistratui ecclesiastico cõmissa fuerit, ob animæ periculum: quia animaduersum est, seculares in ea re sæpius dubitasse, aut errasse, sicuti aduertit Lud. Molina tom. 2. de iust. tr. 2. disp. 333.

6 Dico II. Magistratus humanus legem naturalem præceptiuam mutare non potest, contrarium aliquid statuendo, aut in ea dispensando. Ita docent Theologi cum S. Th.

1. 2. q. 96. a. 5. Ratio est; quia inferior legem superioris tollere non potest, nec in ea dispensare. Si obijcias, quòd Prælati ecclesiastici frequenter dispensare soleant in votis, quorum obligatio diuini iuris est, Resp. Cùm Prælati Ecclesiæ ex iusta causa dispensant in votis fidelium, directè non fit aliqua mutatio, aut relaxatio diuinæ legis, præcipientis vota obseruanda esse; sed fit relaxatio seu remissio iuris diuini, id est, debiti Deo acquisiti, iuxta illud Psalmi 75. v. 12. *Venero & reddere Domino Deo vestro.* Eiusmodi inquam, obligationem siue debitum remittunt Prælati Ecclesiæ, tanquam dispensatores fideles, seu Vicarii Dei, per potestatem ipsis à Christo commissam, ut quidquid soluerent in terris, solutum esset in cælis. Quæ simili ratione Oeconomi, aut Vicarii, absentibus Dominis suis, interdum remittunt & cõdonant debita & obligationes; nihil interim agentes contra leges aut præcepta dominorum suorum; quippe quorum voluntas esse censetur, ut talis remissio, postulante necessitate, fiat. Mutatur quidem ac tollitur per eiusmodi remissionem lex præcipiens debiti redditionem; sed indirectè tantum; quia mutatio accidit ex parte obiecti. Cùm enim Vicarius debiti remissionem facit, eò ipso lex & obligatio cessat, seu obligare definit. Videri potest Suarez tom. 2. de relig. lib. 6. de voto cap. 9. n. 15.

Dixi autem in assertionem, legem naturalem præceptiuam directè mutari non posse. At verò legem naturalem permissiuam, ei aliquid addendo, siue perficiendo, magistratus humanus mutare potest. Sicuti enim ars naturam, ita legem naturalem positiuam lex quandoque perficit; non quidem contrarium illi statuendo, sed superaddendo, quod ab ea statutum non est; neque cõstitui prohibuit. Quæ ipsa ratione pleraque impedimenta dirimentia matrimonii per leges ecclesiasticas constituta sunt, non repugnant lege naturali, ac diuina, sed permittente. Vide quæ docui in Theol. mor. lib. 3. tr. 1. de iustit. cap. 5. n. 6.

Exinde colligitur bona doctrina Innocentij hic, Abb. n. 13. Felini n. 55. & aliorum: Tamet

meti Magistrat⁹ ex causa aliqua negare possit actionem, ac compulsionem ad soluendum debitum iuris naturalis, v. g. ex simplici pacto, non tamen decernere potest, eiusmodi debita reddenda non esse; Præterquam si ratio publicæ necessitatis tale statutum, cum priuatorū aliquo præiudicio, postulet. Quà de re in quæst. 3. dicitur.

8 Dico III. Magistratus humanus statuere non potest aduersus ius gentium præceptiuum; potest tamen iuribus gentium adijcere: cum pleraque eorum permissiua potius sint, quàm præceptiua. Prior pars assert. explicatur: Sic enim fœdera v. g. etiam cum hostibus, legatorum non violandorum religio & c. ius gentium 9. d. 1. iuncto §. ius gentium Instit. de iure natur. gent. & ciuili, violare nefas est: cum inter homines pax mutua & societas, quæ humano generi quàm maximè necessaria, consistere haud possit, nisi talia iniolabiliter, ac sincerè obseruetur. Quà de re dixi in Theol. mor. lib. 2. tr. 3. cap. 12. q. 5. Posterior pars declaratur: Nam de iure gentium v. g. est, vt duo vel tres testes non suspecti ad rei gestæ probationem sufficiant: Sin autem constet de re gesta, etià absque testibus valorem & executionem habere debeat. At verò ius gentium haud prohibet, sed permittit, ob iustam causam, v. g. ob experientiam fraudum, quæ sæpenumero interuenire solent in vltimis voluntatib⁹, vt plures testes etiam ad formam siue substantiam actus, videl. vltimarum voluntatum necessarij sint.

9 **QVÆRITVR** tertio: Num Magistratus, ob urgentem aliquam causam, statuere, vel decernere aliquid possit, cum præiudicio, seu diminutione iuris aliorum. Exemplum habes hîc: Si decernatur, vt liceat cogente inopiâ, feudum absque domini cōsensu alienare: Aut si Princeps filium illegitimè natū cum præiudicio agnatorum, legitime ad feuda ex pacto & prouidentia: Aut si decernat, quæ ex iustitia debita sunt, v. g. à militibus iniuste ablata, restituenda non esse. De qua re multa Felinus hîc n. 26. & seqq. Abb. n. 12. Imol. n. 21. 22. Legistæ in l. vlt. C. si cōtra ius vel publ. vtilitatem. Resp. & dico I.

Princeps seu quilibet Magistratus, absque causa, non potest statuendo, aut decernendo ius suum alijs auferre. Hæc est certa & receptissima sententia. Quia ideo Princeps seu Magistratus constitutus est, vt ius subditis reddat, iustitiamq; colat: Sumiturq; ex l. penult. C. de precib⁹ Imperatori offerendis, vbi dicitur, quod rescripta Principis, contra ius elicita, & quibus alius læditur, nulli⁹ roboris sint, nec à Iudicibus recipienda. Quamobrem omne rescriptum, priuilegium, concessio, aut dispositio Principis, eam tacitam clausulam cōtinere censetur, *saluo iure alterius, siue, sine alterius præiudicio*, l. ex facto 43. in princ. ff. vulg. substitut. l. 2. §. Si quis à Principe, ff. Ne quis in loco publico, c. super eo 15. iun. Gl. ver. intentionis, de off. deleg. Baldus in l. 1. circa finem, ff. de rerum diuis. Math. de Afflictis decis. Neapol. 334. n. 34. Andr. Gail. lib. 2. obs. 58. n. 5.

Dico II. Princeps ex causa iusta, vid. ob publicam vtilitatem, iuri alterius præiudicare, seu vni rem aut ius suum auferre, & alteri dare potest. Hæc itidem est receptissima sententia apud DD. suprâ citatos, Iason. in l. Barbarius n. 24. ff. de Offic. Prætor. Baldus in l. 2. C. de feruit. & aqua. Ratio est: Quia bono publico, tanquam vniuersaliori ac præstantiori, cedit bonum priuatum, siue singulorum: quare quilibet contentus esse debet, vt sui iuris aut rei detrimentum aliquod patiatur, boni publici causa.

His verò pro declaratione addendum est; Si non certò constet de Principis voluntate, adeoque in dubio, nunquam præsumendum est, quod Princeps iuri alterius præiudicare voluerit, iuxta cit. l. 2. §. Si quis à Principe, & c. ex tuarum 5. de aucto. & vsu pallij vtrobiq; Glossæ & Doctores Nicolaus Euerardus in loco à plenitudine potestatis, ver. Sextò quod Papa, Andr. Alciarius de præsumpt. reg. 3. princ. præsumpt. 11. n. 1. 2. Vbi addit, quod in commissione quantumcunq; generalibus verbis facta nunquam concessum censetur, vt ius alteri quæsitū tolli possit. Propterea, inquit, *Vicarius Imperialis ex quacunq; potentia generali non possit hoc facere*. Idque sumatur ex c. ex parte 13. de offi. c.

offic. deleg. & supra cit. super eo. Atq; ibid. n. 3. inquit, quod rescriptum derogans iuri tertij de falsitate suspectum esse debet, atque per obreptionem impetratum, l. nec accus. (de emancip. liberorum, ubi Baldus ait, quod non est de mente Principis tribuere alicui beneficium in alterius iniuriam. Idque locum habere, tametsi adiecta sit clausula, *Motu proprio & ex certa scientia*, ex probabiliore resoluit idem Alciatus n. 13. Præterquam si adiecta sint verba, *ex plenitudine potestatis*, vel si alioquin rescriptum motus proprii nullum effectum haberet, sicuti etiam in supra cit. loco Euerardus annotauit, vel si alijs indubitatis indicijs appareat, Principem iuri alieno derogare conuulisse.

Porro si id ipsum constet, præsumendum est, ex iusta causa Principem egisse, sicuti ex communi tradit hic Abb. n. 4. Guid. Papa decif. Neapolit. 589. n. 5. quod in dubio pro Principe præsumendum sit: Dummodò ita statuere potuerit, non repugnando iuri naturali, immunitati ecclesiasticæ, aut sacris canonibus, si secularis magistratus sit.

Eademque ratione dicendum, quod Princeps absque iusta causa statuere non possit, aut sententiam ferre contra leges positivas iustas, quæ in eâ republ. vigent; cum ipse custos & vindex legum publicarum esse debeat, arg. c. vlt. in fine, de rescript. in 6. Tametsi autem Princeps absolute possit legi publicæ derogare, nisi tamen exprimat, aut alijs indicijs certò constet, censerì non debet absolutà eâ potestate, seu plenitudine potestatis uti voluisse, Alciat. cit. reg. 3. præf. pt. 36. n. 7. Gaill. cit. obs. 58. n. 7. & lib. 2. obs. 142. n. 16. Innocent in c. innotuit, de elect. & alij communiter, quod semper, nisi contrarium appareat, Princeps ordinaria & legibus conformi, non autem extraordinaria & absoluta, seu plenitudine potestatis usus cæteri debet.

Præcipua autem difficultas in eo versatur, quæ & quanta causa requiratur, ut Princeps statuendo, aut definiendo iuri alterius nocere possit? Respondeo, multa hic discernenda esse: Primò quidem quantum sit nocumentum, paruum an magnum. Nam pro quantitate nocumenti, si vid. damnum graue multumq; estimabile sit, grauior etiã publicæ

necessitatis causa requiritur, ut per se patet.

Secundò distinguendum, num ius priuatum ex naturali, aut gentium iure proueniat; an verò ex legis positivæ beneficio aut Principis liberalitate. Nam in hoc posteriore casu facilius Princeps ad derogandũ iuri alieno venire potest. Exempli causa, si per beneficiũ præscriptionis ius alicui aut dominium rei acquisitum sit: quandoquidem hæc acquisitio ex legis Principi subiectæ beneficio prouenit, sicuti Felinus hic notat n. 48. Quando verò addit, à Principe pro libitu & sine vlla causa id fieri posse, fallitur: Partim quia posita præscriptionis lege, ius ac dominium verè acquisitum est vsucapienti, quo sine causa priuari nõ debet: partim quia, ut supra dixi, Princeps secundum leges publicas agere & decernere debet nec sine causa ab iis deuiare.

Aliud exemplum affert Felinus cit. loco, Quod Princeps ius & dominium alicui per sententiam acquisitum, rescissa sententia, pro arbitrato suo auferre queat, ex Baldo l. vlt. n. 4. C. sententiam rescindi non posse, ubi ait, in sententia à Iudice lata subintelligendam esse clausulam, *salua plenitudine potestatis Cæsareæ*. Quæ sententia vera est, si appareat, in sententia lata errorem, aut nimium iuris rigorem contineri: Sin autem iusta sententia fuit, non potest à Principe sine causa, aut pro arbitrio eius rescindi; multo verò minus res adiudicata alicui auferri.

Etenim per sententiam Iudicis non tam de nouo ius tribuitur, quàm interpretatio fit, eaque authentica, ius parti competiisse; Iudex enim iuris cuiq; competentis interpretes & arbiter est. Quare etiam Principis rescriptum contra sententiam, quæ in rem iudicatam transijt, irritum est, uti docet Gaill lib. 2. obs. 58. n. 6. ex l. vlt. C. sententiam rescindi non posse. Denique quæ à Principe subditis priuilegia concessa sunt, iterum auferri possunt nisi transferint in contractũ: tunc enim absq; causa, seu pro libitu, tolli nequeunt: quia etiam Princeps ad contractũ, aut donationis absolute factæ obseruatione obligatur, uti ex communi notauit Gaill lib. 2. obs. 55. Felin. hic n. 51. Afflicti. cit. decif. 361. n. 10. & dixi de hoc in Theol. moral. lib. 1. tr. 4. c. 23. n. 25.

Tersio

Tertiò distinguendum, num agatur de tollendo iure alteri iam acquisito, an verò acquiriendo, tollendo iure in re, an in spe. Illud enim ius, quippe firmiter ac certius, difficilius tolli potest, vti ex communi annotavit Gaill lib. 2. obs. 142. n. 14. Exemplum habemus in filiorum legitimatione, si fiat etiam in ordine ad successione[m] hæreditatis paternæ. Ad quam longè grauior, & ad bonum publicum pertinens causa seu necessitas requiritur, quando pater mortuus est, ad eòq; hæreditas legitimis filiis aut agnatis delata, vel acquisita: Minor autem causa requiritur ad legitimandum filium patre adhuc viuento, præsertim petente, in præiudicium legitimorum filiorum: quamvis & hæc legitimitio odiosa censeatur, Quia vt bene annotavit Zasius in l. cum hæredes, ante §. In ijs, ff. de acquir. possess. filiis legitimè natis gentium iure paterna hæreditas, exclusis illegitimis, debetur; Non ita verò agnatis, quorum proinde nec mentio fieri debet in rescripto; sed nec eorum citatio requiritur, si filius naturalis seu illegitimè natus, patre adhuc viuento & consentiente, non extantibus filiis legitimè natis, legitimandus sit, vti docent Legistæ in l. Gallus 29. §. sed quid si tantum, Gaill cit. obser. 142. n. 1. & 11. Qui addit n. 14. & tradit Couarr. lib. 3. var. resol. cap. 6. n. 2. ex cõmuni, quòd Princeps filium naturalem legitimare ac habilitare possit ad feuda antiqua ex pacto & providentia, item ad maioratus, seu fideicommissa, etiam cum præiudicio agnatorum: cum non habeant ius quæsitum in re, sed tantum in spe successione, si possessor feudi, aut maioratus mortuus fuerit. Eiusmodi autem ius non censeatur esse in bonis nostris, sicuti nec ius hæreditatem consequendi, l. pretia 63. ff. ad Legem Falcidiam. Puto tamen, vt id iuste fiat, requiri causam; cum negari non possit, esse hanc aliquam imminutionem iuris descendente[m] ex pacto & providentia antiqua.

Quartò considerandum est, an, & quantum potestatem habeat Princeps erga personas, & res siue iura, quæ decernendo aufert, aut abrogat.

Quamobrem aiunt Doctores apud Felinum hic n. 40. Iasonem in l. Barbarius n. 43. ff. de off. Præt. quòd Rom. Pontifex de beneficiis ecclesiasticis plenam ac liberam habeat dispositionem, iuxta c. 2. de præbend. in 6. Cuius rei ratio est, quia Pontifex non ita beneficia confert, vt eorum administrationem à se abdicet. Liberam quoque habet de bonis, aut redditibus ecclesiarum disponendi facultatem, vt ea ab vna ad alteram ecclesiam, prout voluerit (saltem validè, & si causa subsit, etiam licitè) transferre queat, sicuti ibidè tradit Felin. ex Paulo de Castro conf. 281. & ex communi sententia copiosè de hac re disserui in iusta defenf. cap. 2. mem. 2. 3. & 4.

Alia verò ratio est de fructibus seu redditibus ecclesiasticorum; horum enim dominium cum clericis proprietatis iure acquisitum sit, ideo de his non potest Papa, multòque minùs de patrimonialibus Clericorum bonis, ad libitum disponere. Sed excipi debet, si clericorum, seu beneficiariorum redditus, etiam percepti, superflui sint: Quandoquidem tales redditus non absoluto dominij iure ad beneficiarios spectant, sed Ecclesiæ obligati manent, sicuti ex vera, & communi Canonistarum doctrina tradidi lib. 4. moral. Theol. tr. 2. c. 3. Ex quo sequitur, cum clerici superfluos redditus suos ad causas pias, ex iustitiæ lege, expendere obligati sint, quòd neque Episcopus, occurrente aliqua causa siue necessitate, ex officio clericos ad hoc compellere, aut ipsis negligentibus, dispositionem facere prohibeatur.

At verò magistratus secularis (quicumq; sit) nihil disponere, aut statuere potest circa ecclesias, aut personas ecclesiasticas, earumque bona; multò minùs de Monasteriis, beneficiis, aliisque rebus ac iuribus sacris, siue spiritualibus; Ne quidem ex plenitudine potestatis: Quia talis potestas locum nõ habet, nisi erga personas, aut res, quæ Principi subiectæ sunt, vti per se patet, & tradit Felin. hic n. 30. Atqui seculari magistratui in personas, aut res sacras, siue ecclesiasticas nulla iurisdictio competit, prout omni iure notissimum est. Ergo & c. Neque obest, quod mali politici

politici subinde suggerant, *Necessitas legem non habet.* Et, *quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum*, reg. 4. de regulis iuris. Nam necessitas, aut ratio boni publici iurisdictionem fundatam, seu præexistentem extendere quidem potest, sed ubi non subest, dare non potest, sicuti bene notavit Suarez in defenf. Fid. Catholicæ lib. de inamunit. eccl. cap. 3. n. 8. quod *sola necessitas non dat iurisdictionem.* Laicæ autem siue seculari potestati, eo ipso quod secularis est, nulla iurisdictione erga personas & res ecclesiasticas competit: Ergo neque in casu necessitatis eandem acquirat. Et locum hîc habet dictum vulgatum, *non entis non est qualitas*: Vbi, inquam, non est iurisdictionis potestas, nec potestatis plenitudo reperiri potest. Quæ doctrina ex hoc etiam colligitur, Quia, vt supra monui, Pontifex noluit hîc disputare, num propter necessitatem inopiæ decerni possit, vt feuda liberè alienare liceat; Satis erat respondere, id de feudis ecclesiasticis, seu ad ecclesiam pertinentibus nequaquam statui posse absque ecclesiasticarum personarum assensu. Nam, vt Glossa ibi in not. ait, *constitutio facta in rebus ecclesiæ per laicos non valet.* Vide quæ dicuntur c. ecclesia 10. hoc tit.

Restant duo dubia: Primum; Si Princeps, ob publicam causam, siue necessitatem, res priuatorum abstulit, num ad compensationem damni obligatus sit? Communiter affirmatur, vt videre licet apud Iasonem in l. Barbarius n. 36. ff. de Offic. Prætoris, Felin. hîc n. 28. Matth. de Afflictis cit. decif. 361. n. 29. si Princeps ex causa auferat rem priuato, quod cessante causa eam restituere debet. Hac ratione aiunt Doctores post Innoc. c. in nostra, de iniuriis, Ant. de Butrio in c. quanto n. 2. de iure iur. Felin. hîc n. 53. Quod Princeps cum hostibus pacisci, seu pacem componere non debeat, nisi saluo iure subditorum, id est, vt damna ipsis iniuste illata resarciantur. Id tamen limitari debet; Si aliter pax Reipubl. utilis ac necessaria obtineri nequeat, nisi illatorum damnorum remissio fiat, quæ neque Princeps ipse aliter restituere possit. hoc in

casu, ob commune bonum, & nocumenta perferri debent à subditis.

Deinde si Princeps rei damnati ob crimine perduellionis v. g. bona confiscarit, & aliorum aliis applicarit seu donarit; postea autem damnatum, vnà cum bonis suis, restituat, in hac restitutione bonorum non veniant bona à Principe donata & alienata, sicuti ex communi docet Matth. de Afflictis supra cit. decif. 361. n. 29. Imola c. quia diligentia, n. 6. de elect. Felin. c. inter quatuor n. 4. & 5. de maior. & obed. Limitari tamen debet primo; Nisi Princeps ei, in quem res translata est, aliter compensationem facere velit. Secundò; Nisi ob publicum bonum pacis, necessarium esse videatur, rem donatam, vel aliter alienatam reuocari, ac restitui; neque aliter donatario, aut ei cui alienatio facta, restitutio fieri possit. Quam ipsam tamen limitationem restrictam leges apud Matth. de Afflictis decif. 361. n. 23. & seqq. vt locum nō habeat, si res Ecclesiæ donata, vel aliter in eam translata sit. Nam postquam bona legitime acquisita sunt Ecclesiæ, nulla laica potestas de ijs absque Prælatorum ecclesiasticorum consensu statuere aut disponere potest.

Alterum dubium; An plenitudo potestatis extendens se ad ius subditis, iusta de causa, tollendum, sit propria supremi Principis? Affirmant DD. communiter cum Gl. in c. constitutus ver. à quocunque, de relig. domibus, quod solus Princeps rem vni auferre, & alteri dare potest. Non prohibetur tamē Princeps hanc ipsam potestatem, sicuti & alia regalia, aut reseruata, alteri concedere, vtj ex recepta doctrina tradit Baldus in l. 2. n. 39. ff. de seruitut. & aqua, Felin. hîc n. 32. Gaill. obs. 142. n. 3. & 4. vbi aiunt, si Imperator Comiti Palatino legitimandi, seu natalibus restituendi facultatem concedat, explicandam esse, vt ea exerceatur absque aliorum præiudicio; præterquam si in concessione amplior potestas expressa sit. Quæ autem, aut quousque specialia, seu reseruata Imperatori, Imperij Ducibus, &c. communicata sint, tum ex inuestituræ verbis, tum ex cōmuni &

D

pro-

probata consuetudine cognosci debet, prout declarat Felin. cit. n. 32. 33.

- 16 Ad extremum id solum moneo, Legistas quoddam plenitudinem potestatis in supremo Principe nimium extulisse, quasi prohibito omnia agere possit, uti videre licet apud Baldum in cit. l. 2. n. 40. *Est autem plenitudo potestatis, arbitrii plenitudo, nulli necessitati subiecta, nullisq. iuris publici legibus limitata. Et paulo post; In Principe sedes libertatis est, & potest preferre magis equo minus equum; & magis bono minus bonum, nam cum non sit obligatus ad aliquid, potest eligere sicut placet. Contra hanc falsissimam doctrinam, qua fons & scaturigo iustitiæ ac honestatis destruitur, librum elegantem scripsit Dom. Anton. de Petra, de iure quaesito non tollendo à Principe, videl. prohibito, & sine iusta causa. Cap. 24. n. 32. ait, si Princeps supremam potestatem non regulat secundum honestatem, potestas talis non est absoluta, sed dissoluta; & plenitudo tempestatis, non potestatis dicitur. Et Baldus citato loco rectè dixit, quod nulla auctoritas facere potest, ut Princeps non sit animal rationale, mortale, nec eum absoluerit à lege nature, vel à dictamine recte rationis, vel legis æternæ.*

CAPITVLVM VIII.

Cùm accessissent.

PARAPHRASIS.

Cùm Canonici quidam Ecclesiæ Tullensis significassent Papæ Innoc. III. Dignitatem Primicerij (de quo infra hoc lib. tit. 25.) tanto tempore vacasse, ut eius collatio ad Apostolicam Sedem deuoluta sit, Pontifex ad dictæ dignitatis collationem procedere volebat, sed Capitulum Tullense opposuit, Pontificem non rectè informatum fuisse, quandoquidem ipsi statutum fecerunt, quod etiam à Sede Apostolica confirmatum fuit, ut Dignitas illa Primicerij extingueretur, eiusque reditus Canonici accrescerent. Quare mandata Innocent. Si rem ita se habere cognoscatur,

ut statutum in suo robore permaneat, nisi Canonici postea statuto suo contrauerint, Primicerium aliquem eligendo.

SUMMARIVM.

1. Beneficarij Ecclesiastici collatio propter negligentiam collatoris inferioris deuoluitur ad superiorem.
2. Eiusdem supprimendi seu extinguendi iusta causa est, ut reditus eius prebendis Canonicorum, si nimis tenues sunt, addantur; non tamen sine auctoritate Pontificis, si dignitas sit, qua in Ecclesia de iure communi esse debet, aut nua à Pontifice instituta vel confirmata.
3. Statutum, quod principaliter cedit in utilitatem statuentium, renuntiari potest per statuentes, etiam si foret à Papa confirmatum.
4. Confirmatum à Superiore confirmatione accidentali, tolli potest inferioris statuentis auctoritate.
5. Non item (saltem ordinario) tolli potest statutum à Superiore confirmatum, confirmatione essentiali, ob bonum publicum.
6. Statutum, consuetudo, aut privilegium cedens per se & principaliter in fauorem solius Capituli, ab eo tolli potest, ex consensu maioris partis, si fauor competat Capitulo, ut vniuersis, ex omnium autem consensu, si competat ille, ut singulis.
7. Statutum cedens etiam in aliorum gratiam, tolli non potest, absque consensu eorum, quorum interest.
8. Statutum Ecclesiæ à Papa confirmatum, confirmatione essentiali, sine eius consensu abrogari potest, si per eam abrogationem redeatur ad iuris communis observationem; & ea abrogatio sit futura Ecclesiæ vtilis, si atque ab ijs, qui potestatem habent leges ferendi, & immutandi Ecclesiæ statum.
9. Privilegium per vnum actum contrarium seu contrarietatem tolli potest, si con-

si contra privilegium operantes ei renuntiare possint.

10. *Ut autem per actum contrarium amittatur privilegium, requiritur primo, ut illud sit negativum. Affirmativa enim amitti non solent, nisi accedente prescriptione.*
11. *Requiritur secundo, ut actus contrarius voluntarie exerceatur contra privilegium; quod si habet tractu successuum & actum iterabilem, per se non ulterius eius renuntiatio extenditur, quam auctus, qui exerceatur, ei contrarius sit. Secus contingit in privilegio non habente tractum successuum.*
12. *Requiritur tertio, ut qui operantur contra privilegium, facultatem habeant illud abolendi, etiam expresse.*
13. *Idem est de statuto.*
14. *Nisi statutum sit iuratum, cui si rno etiam actu contraveniunt, videntur id agere animo tollendi illud, ne periuri videantur.*

NOTANDVM I. Collatio beneficii ecclesiastici, propter negligentiam collatoris inferioris, deuoluitur ad superiorem. De hoc dicitur in c. licet 3. de suppl. negl. Prælatorū.

2. NOTANDVM II. Iusta causa supprimendi, seu extinguendi ecclesiasticum beneficium conferri potest, ut eius redditus præbendis canonicorum, si nimis tenues seu non sufficientes sint, accedant Existimat verò Gl. hic ver. confirmatum, quam sequitur Alexander de Neuo n. 13. Ut dignitas in ecclesia extinguatur, necessariam esse auctoritatem Papæ. Idque verum est, si secundum ius commune canonicum talis dignitas in ecclesia esse debeat, ut colligitur ex hoc c. Ratio dari debet, quia inferiores Papæ statuere non possunt contra ius commune ecclesiasticum, uti docent DD. in c. 1. & Imola in c. Quæ in ecclesiis n. 24. hoc tit. Idemque sentiendum, si noua dignitas siue à Pontifice instituta, siue pro bono alicuius ecclesiæ confirmata, & stabilita fuisset, sine eiusdem auctoritate tolli eam deinde non posse. At verò extra hos casus, dignitatem ex iusta causa tolli posse ab Episcopo, docent Hostiens. Ioan. Andreas, Imola in hoc

c. Gl. in Clem. 2. ver. vacabat, de rebus eccles. non alienandis.

NOTANDVM III. Statutum, etiam à Papa confirmatum, si principaliter cedat in statutum, v. g. Capituli ipsius utilitatem, statuentes per renunciationem tollere possunt. Hæc est principaliter intenta decisio huius c. Pro cuius intellectu, formo **QVÆSTIONEM;** Num statutum, postquam Superioris auctoritate confirmatum est, sine eiusdem consensu & auctoritate tolli queat? In primis distinguendum cum Bartolo in l. omnes populi n. 33. ff. de iustit. & iure, Baldo in l. ex placito n. 7. & seqq. C. de rerum permutatione, quòd alia sit confirmatio essentialis ac necessaria dans formam & substantiam statuto, si ita inferiores tale quid statuendi per se ipsos potestatem non habent; alia verò confirmatio accidentalis, quæ non dat formam & substantiam statuto, si inferiores confirmationem petentes per se ipsos statuere potuerunt; sed dat maius robur, & auctoritatem, ut oppugnari faciliè non possit. Tum verò locū habet, quod communiter docent DD. super tit. vl. lib. 2. decretal. *Confirmans nihil noui dat; quia quod non est, non confirmatur;* Præterquam si Princeps ex certa scientia, aut ex plenitudine potestatis confirmet, ut appareat maius robur statuto adjicere velle, quam primordiis eius natura habeat, uti notauit Syl. ver. absolutio 2. n. 5. Eman. Rodriq. tom. 2. regul. qq. q. 68. a. 5. Gaill lib. 2. obs. 1. n. 16. 17. Vel si clausulam irritantem expresse adjiciat, videlicet ut irritum sit, si contrà aliquid actum fuerit, iuxta c. dilecto 25. iun. Gl. ver. huiusmodi clausula, de præb.

Respondeo iam & Dico I. Statutum, quod à Superiore confirmatum est confirmatione accidentali, tolli potest eadem inferiorum auctoritate, qua est introductum. Ita cum Bartolo, Baldo locis supra cit. & aliis communiter, Suarez lib. 6. de legibus cap. 26. num. 22. Ratio est aperta: Quia huiusmodi Superioris confirmatio non mutat naturam statuti; siue, ut breuiter dicam, non efficiatur lex Papalis, eò quòd à Papa confirmationem acceperit; sed manet municipalis, Episcopalis, aut Capitularis, si

à municipio, Episcopo, aut Capitulo condi potuerat, consequenter & tolli potest. Quia eiusdem potestatis est ligare, & soluere.

5 Dico II. Statutum, quod à Superiore confirmationem essentialem ac necessariam accepit, ordinariè tolli non potest ab inferioribus. Ratio est: Quia eiusmodi statutum, quod v. g. à Papa confirmatum est, Papalem auctoritatem habet, iuxta l. 1. C. de iure veteri enucleando, *Omnia nostra facimus*, ait Imperator Iustinianus, *quibus auctoritatem nostram impartimur*. Inferior autem tollere non potest legem superioris, c. inferior 4. d. 21. Quare regulam tradit Bartolus cit. loco, *Quę statuta sine Superioris auctoritate condi non possunt, ea sine eiusdem auctoritate abrogari non possunt: nam eadem solemnitas requiritur ad destituendum, quę ad confirmandum, uti sumitur ex Authent. E contra, C. de repudiis.*

Ceterum hæc doctrina intelligi debet de statuto à Superiore confirmato, propter bonum publicum, ita ut fiat lex iuris publici pertinens ad bonum statum v. g. Ecclesię: Secus autem, si statutum ita confirmatum, directè ac principaliter tendat in commodum ipsorum statuentium, & confirmationem à Superiore petentium. Tale enim statutum, cum se habeat per modum privilegiij seu legis specialis, tollere statuentes possunt etiam sine confirmantis auctoritate, prout hic annotavit Abb. nu. 2. Felinus num. 3. Suarez cit. cap. 26. nu. 6. Eman. Rodrig. qq. regul. tom. 1. quęst. 10. art. 4. Azor tom. 1. moral. Instit. lib. 5. cap. 25. quęst. 15. & colligitur ex hoc ipso c. uti dixi in not. 3. & ex c. pro illorum nu. 22. de præb. & tradit Innoc. in c. accedentibus, de privileg. & docui in Theol. morali lib. 1. tract. 4. cap. 23. num. 20. quod Capitulum, vel Conuentus non possit tollere, vel renunciare iuri ecclesię utili & honorifico, acquisito per statutum, consuetudinem aut privilegium: Secus tamen sentiendum esse, si ius aut facultas aliqua specialiter competat ipsi Capitulo, tum ei renunciare poterit. Est enim generalis regula, quod quilibet favori suo renunciare potest, l. si quis in conscribendo 29. C. de pa-

etis. Si itaque fauor est ipsius solius Capituli, aut Conuentus, Conuentus aut Capitulum renunciare non prohibetur ex consensu partis maioris, si fauor aut ius competat Capitulo ut vniuersis; ex omnium autem consensu, si competat ut singulis, iuxta receptam distinctionem Doctorum in c. cum omnes, vbi Abb. num. 5. hoc tit. Felin. 15. hoc tit.

Dixi autem, si statutum, consuetudo, aut privilegium per se ac principaliter respiciat utilitatem ac fauorem solius Capituli seu Capitularium, quod tollere illud possint, A- 7 liter verò dicendum, si etiam in aliorum gratiam constitutum aliquid sit, tunc tolli non potest absque consensu eorum, quorum intere, ut indicat Bartolus citato loco num. 29. & bene annotat hic Abbas & Felinus n. 3. Exemplum affert Bartolus: Si statuto ciuitatis cautum sit, ut quicumque mercatores ad inhabitandum venerint, certo aliquo privilegio gaudeant; Et mercatores aliqui acceptando statutum, ea de causa accesserint, non potest cum eorum præiudicio ac detrimento, abrogari à ciuitate, nisi grauis causa, seu necessitas exigat. Nam statutum, sicuti & privilegium, quod transiit in contractum, aut quasi contractum, reuocari ordinariè non potest cum præiudicio aliorum, & locum hic habet reg. 21. in 6. iun. Gloss. fin. *Quod semel placuit, amplius displicere non potest.*

8 Aliam doctrinam tradunt Bartol. & Baldus locis supra cit. Abb. hic n. 2. Felin. n. 3. & sequitur Suarez cit. cap. 26. n. 18. Quod statutum Ecclesię à Papa confirmatum confirmatione essentiali & necessaria, sine eiusdem consensu abrogari possit, si per eam abrogationem redeatur ad iuris communis obseruationem. Est enim fauorabilis reditus ad ius commune, uti hic ostendit Felinus, & Didacus Couarruias libr. 3. variar. resolut. cap. 6. num. 3. Quod quæ alioquin fieri non possunt, frequenter permittuntur, si per eum actum ad ius commune reditur: Requiritur tamen, ut qui ecclesię aliquod statutum, contrarium statuendo tollunt, potestatem habeant, leges ferendi, atque

atque immutandi ecclesiæ eius statum, uti supra annotavi in c. cum omnes hoc tit. Deinde necessariū est, ut reuocatio statuti specialis per Papam confirmati confirmatione necessariā, vtilis ecclesiæ esse videatur: Sin autem vtilius & commodius videatur esse ecclesiæ, ut remaneat in antiqua, à Pontifice, concessa obseruatione, Episcopus, aut in Religionibus Capitulum generale absque eiusdem Pontificis consensu tollere non potest: Quia Prælati & Capitulum potestatem non habent, ut iura ecclesiæ vtilia tollant, aut eius statum deteriolem reddant, uti sumitur ex l. ius publicum, § 8. ff. de pactis, & tradūt DD. cum Innoc. in c. accedētibus 15. de priuileg. Petr. Rauennas in tract. de consuetud. n. 60. Abbas hīc, vbi bene animaduertit, ideo potuisse Canonicos in casu huius c. statutum à Papa confirmatum tollere, quia sublato eo statuto, atque restitutā dignitate Primicerii, cultus diuinus & ecclesiæ decor auctus fuit.

9 NOTANDVM IV. Priuilegium per vnicā contrauentionem, seu vsum ipsi contrarium tolli potest, si contra priuilegium operantes ei renunciare possint. ita sumitur ex hoc c. & latè disputant DD. cum Gl. hīc vers. contrauenerunt. Ut autem hæc res plenè intelligatur, animaduertendum est, plura esse necessaria ad hanc contrauentionem, tacitamque renunciationem priuilegii.

30 I. Ut sit priuilegium negatiuum, v. g. immunitatis à præstandis decimis, tributis, &c. At verò affirmatiua priuilegia, seu facultates agendi, per non vsum amitti non solent, nisi præscriptio accesserit. Quà de re Hieron. Schurpfcant. 1. consil. 14. n. 2. & dixi de hoc in supra cit. cap. 23. n. 21.

31 II. Requisitum, ut actus aliquis voluntariè exerceatur contra priuilegium. Ideo enim dici solet hæc renuñciatio tacita, quia per factum contrarium voluntariè fit. Ideo si nesciat quispiam se contra priuilegium operari, vel si protestetur expressè, nolle se priuilegio præiudicare, cessat renuñciatio, l. 1. C. de his qui munera publica sponte obeunt lib. 10. vbi Bartol. & Abb. hīc n. 7. Felin. n. 30. limit. 5.

Idcirco considerandum quoque est, quo-

usque actus, qui exerceatur, priuilegio contrarius sit: non enim vltimè renuñciatio eius (quippe quæ stricti iuris esse censetur l. emptor 48. §. Lucius ff. de pactis) extendi debet. Cum itaque priuilegia aliqua sint habentia tractum successiuum, & actum iterabilem, v. g. immunitas à tributis, à decimis, à iudicis tribunali, ideo si quis vnum, alterum, aut plures actus contra exerceat, v. g. decimas soluat, non potest ex hoc solum, & nisi aliæ circumstantiæ & coniecturæ adsint, renuñciatio priuilegii absolute colligi; sed tantum quoad eum actum, vel actus qui exerciti sunt, sicuti hīc bene docet Hen. Boich. n. 9. & seqq. fusè Suarez lib. 8. de legib. cap. 35. & sumitur ex l. 2. ff. de priuileg. veteranorū & l. voluntariæ 12. C. de excusat. tutorum, vbi Salic. ait, quod per vnum actum contrarium non perdit quis priuilegium in aliis, si habeat effectum iterabilem & successiuum, & in l. 1. & 2. C. de his qui munera sponte suscipiunt, lib. 10. quibus in locis habetur; Si aliquis à muneribus publicis suscipiendis immunitatem habens, aliquod eorum sponte suscipiat, non præiudicare sibi, quod minùs alio tempore vel idipsum, vel aliud munus vi priuilegii recusare queat. Excipitur verò in cit. l. 1. & 2. si miles veteranus, cui vacuitas concessa sit, decurionis munus absq; protestatione suscipiat, quod redire ad excusationem, & immunitatem, cui renuñciasse cēsetur, permittendus non fit: Propterea quod decurionatus veluti aditus quidam sit ad alia munera & dignitates, ad quæ decuriones assumi possint, ita ut decurionis munus sponte suscipiens habilem se ostendat ad quodcumq; munus, sicuti hīc declarat Boich. n. 11.

Quare, ut supra dixi, etiam aliæ similes coniecturæ concurrere possunt, ut per vnū factum contrarium priuilegio, quamuis tractum successiuum, actumq; iterabilem habenti, quispiam renunciare videatur priuilegio v. g. exemptionis, si quis ordinario iudici absque vlla protestatione ita se sistat, ut ex agendi modo & circumstantiis appareat, quod se subiectum profiteatur.

Deinde licet vnus actus, vel etiam plures plerumque non sufficiant ad eiusmodi a-

mittenda priuilegia viâ renunciationis; si tamen exercentur sine vlla protestatione, v. g. sistendo se iudici, tributa, decimas &c. soluendo, constituunt quandoque alterum in possessione, ita vt per tempus legitimum præscriptionem perficere, adeòque viâ præscriptionis priuilegium amitti possit, vt constat ex c. si de terra 6. c. accedentibus 15. de priuil.

Sin autem concessum alicui priuilegium non habeat tractum successiuum, aut effectum iterabilem; sed vnico actu perficiatur, & impleatur: Tunc consequenter etiam vnico actu contrario, voluntariè exercito, aboletur. Et iste est casus huius c. Concessum enim erat Capitulo Tullensi, vt Primiceriatûs dignitatem extingueret, quæ concessio siue indultum vnico actu extinctionis cõplebatur: quòd si postea spõte Primicerium elegerent Capitulares, adeòque dignitatem istam, quæ suapte naturâ perpetua est, resuscitasset, profectò priuilegio seu indulto Pontificis yno facto contrario penitus renunciassent.

12. III. Requisitum est, vt qui operantur cõtra priuilegium, facultatem habeant illud abolendi etiam expressè, sicuti ex communi Fel. hîc n. 28. Qui enim priuilegium per expressam renunciationem tollere non potest, is neque per tacitam: siquidem expressè & taciti eadem vis est: Imò plus efficacius aliquid est, expressè renunciare, quàm tacitè, verbis quàm facto. Quòobrem distinguere oportet, num personæ particulari priuilegium datum sit, an verò Communitati, loco, aut dignitati. In primo casu, nulla est difficultas; cum sit regula iuris antiqui, dicitur in l. si quis in conscribendo 29. C. de pactis, omnes licentiam habere iis, qua pro se introducta sunt, renunciare. Sin Communitati cõpetit tota Communitas communi consensu renunciare non prohibetur, cum & hîc regula locum habeat, quòd fauori suo ij, quibus competit, renunciare possunt, argum. & c. pro illorum 22. de præbend. At verò si nõ tota communitas cõsentiat, sed qui administrationem aliquam gerunt, v. g. Episcopus cum Capitulo Cathedrali, Generalis Ordinis cum Congregatione generali, nõ possunt priuilegio, quòd est vtile ac honorificum

Ecclesiæ, renunciare expressè, cõsequenter nec tacitè: nisi præscriptio accesserit, vt supra dictum, & tradidit Henr. Boich. super hoc c. n. 13. Idemque pari ratione dicendum, si priuilegium reale, sit dignitati, aut loco, v. g. ciuitatis, aut ecclesiæ concessum: cum enim locus, cui ius aut priuilegium concessum commune sit, similiter & dignitas ad Ecclesiæ decorem pertineat, non potest per quorundam renunciationem tolli; Præterquam si appareat priuilegium vtile non esse; aut fortassè noxium: Imò hoc in casu per se cessat, ita vt obseruari nõ debeat, ob iuris regul. 61. in 6. Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium reuertendum.

Porro, quòd attinet ad statutum, similiter dicendum, si qui illud expressè tollere nõ possunt; quòd neq; tacitè, siue per voluntariâ renunciationem. Sin autè expressè tollere possunt, quia v. g. sunt auctores statuti, seu dantes illi formam ac substantiam, tunc ei contrarienire poterunt. Cæterum, si statutum habeat diuisibilitatem circa obiecta vel actus suos; siue quòd plures ac diuersi specie sint, siue solo numero iterabiles; tunc videndum, quousque se contrarietas extendat: Cum enim habeat rationem cõtrarietatis seu priuationis, non plus tolli potest, quàm oppositio exigat. Exempli causa, si in Ecclesia statutum editum sit, vt nemini ex hæresi conuerso, aut ex Iudeorum profapia orto, canonicatus conferatur: at verò non obstante statuto, ex hæresi conuersi absque protestatione recipiantur in Capitulum; non item ex Iudæo genere nati, fieri potest, vt statuto renunciatur quoad priorem eius partem, non autem quoad posteriorem, sicuti hîc annotauit Boich. n. 10. Sed neque recipiendo vnium aut alterum ab hæresi conuersum, absolute ac penitus renunciabitur statuto, sed tantum quoad eos actus & personas receptas. Simile est, si Religiosi alicuius Monasterii statuatur, quòd nõlint in Conuentum suum recipere duos fratres, aut tres ex eadè familia procreatos: ac postea recipiant tres eiusdem familiæ, non item duos fratres.

Limitari autem debet, quòd docui, per vnicum aut etiam plures actus contrarios, (nisi aliæ adsint coniecturæ) statutum non

tolli absolute; Limitari debet, inquam, nisi illud iuratum sit, si vid. Capitulares, aut Conuentuales iurarint obseruatos se statutum, seu non recepturos eiusmodi personas, quia Conuentui aut Congregationi noxium esse videatur; ac postea contraueniant etiam vno actu, censentur recedere à statuto, quoad illam statuti partem, v. g. vt ex hæresi nati, vel tres ex eadem familia non recipiantur. Nō enim præsumendum est periurium; fierent autem periuri, si statutum iuramento confirmatum violarent; præterquam si illud abolere ac tollere vellent. Quare hoc ipsum tanquam benignius, præsumi debet, secundum doctrinam Felini hic n. 11. & 12. quam testatur esse communem super c. dilecto 25. de præb. quod statuentes propriam auctoritate tollere possunt statutum iuratum: Consequenter si ei facto etiam vnico contraueniant, videntur id agere animo tollendi statutum, ne alioquin periuri fiat. Vide quæ dicentur in cit. c. dilecto, & c. seq.

CAPITVLVM IX.

Cùm M. Ferrariensis.

PARAPHRASIS.

Lis iudiciaria agitata fuerat coram Episcopo Ferrariensi inter Martinum & alios quatuor Ferrariensis Ecclesiæ Canonicos ex vnâ parte, & inter Capitulum Ferrariense ex alterâ parte: quæ iam prius coram Episcopo Ferrariensi agitata, deinde ad Papam Innoc. III. delata fuit. Martinus Canonicus suo & sociorum nomine proposuit, quod Capituli Ferrariensis Canonici, vt præbendas suas augerent contra antiquam Ecclesiæ suæ consuetudinem, eos ad numerum minorem, videlicet 14. redegerunt, parte quadam prouentuum communi mensæ Capitulari deputatâ, reliquos inter se diuiserunt, ita vt ob minorem numerum Capitularium singuli plus reciperent. Nihilominus postea contra propriam constitutionem venientes quinque Canonicos instituerunt, nullis designatis præbendis, tametsi redditus Ecclesiæ seu mensæ Capitularis non parum augeri fuerint.

Ex aduersâ autem parte Procurator Ferrariensis Capitali respondit, quod statutum Capituli de numero præbendarum 14. à Sedē Apostolica confirmatū fuerit. Cùm enim in ecclesiâ vna præbenda vacaret, Capitulum ad quorundam instantiam duos ad eâ instituisse, ita (arbitror) vt redditus inter se diuiderent, postea verò ad preces Episcopi dictum Martinum & quendam alium à Capitulo receptum fuisse, eâ conditione, vt ius Canonice haberent, sed ex ea nullos redditus sperare possent, donec priores duo præbendas integras assecuti essent. Fuisse quidem industria quorundam Canonicorum Ecclesiæ prouentus auctos, sed illud augmentum mensæ communi Capitulari, quod minus sufficiens esset, deputatos fuisse.

His ex vtrâque parte relatis, mandat Innocent. III. Episcopo Clagienti, vt examine hac super re instituto, præbendis 14. in sua integritate relictis, quatuor canonicas ex redbitus excrescentibus præbendas constitui curet, non obstante confirmatione statuti de 14. præbendarum numero: cùm in eâ secundum stylum Curie Romanæ expressa, vel saltem tacite intellecta fuerit limitationis hæc clausula: nisi postea Ecclesiæ redditus ita augerentur, vt conuenienter plures Canonici institui possint. Accedit etiam, quod ipsi Canonici à statuto suo sponte receperint, supra numerum statutum quatuor recipiendo. Facit autem Pontifex mentionem quatuor tantum, nam qui primus ad vacantem Canonicatum institutus erat, is præbendam integram, & non vt Capitulum volebat, dimidiatam percipere debeat. Denique ait Pontifex, omnia rescindi, declararique oportere irrita, quæ post litem motam & contestatam coram Episcopo Ferrariensi circa præbendas, & earum possessionem innouata fuerant.

SUMMARIUM.

1. *Iusta causaminuendi numerum Canonice est tenuitas reddituum, vbi augendi eorundem notabile augmentum.*

2. Be

2. Beneficia, que ab alio, quàm Episcopo vel Capitulo, fundata sunt, sine patroni consensu supprimi aut diminui non possunt, nisi cogente necessitate: & tunc patronus requisitus consentire nolit.
3. Nec beneficia supprimi, vel diminui possunt in perpetuum ab Episcopo cum consensu Capituli, que in vtriusq; commodum cedunt, sed opus est consensu Papa.
4. Numerus præbendarum etiam iuramento confirmatus mutari potest, re notabiliter mutata.
5. Aliud est ius Canonie spiritualis, & aliud ius præbende, sine hac non decet diu viuere Canonicum, qui officio saltem Horarum Canonicarum sit adstrictus, quam etiam, implorato iudicis officio, petere potest.
6. An expectantibus præbendam debeantur distributiones quotidiana, & si in Sacris constituti sint, vocem habeant in Capitulo, ex cuiusque Ecclesia consuetudine cognoscendum.
7. Statutum etiam à Papa confirmatum de certo præbendarum numero intelligendum est cum clausula, nisi in tantum excreverent Ecclesie facultates, ut pluribus possint sufficere competenter.
8. Numero Canonorum aucto ob augmentum reddituum, in eorum perceptione novos Canonicos antiquis aequales esse decet.
9. Valet protestatio, ut Canonicus supernumerarius redditibus careat, dum præbenda vacet.
10. Protestatio est voluntatis declaratio de iure suo resimendo, aut iuri alterius contradicendo.
11. Protestatio non habentis ius nihil proficit.
12. Ea semel facta ad conseruationem iuris, repeti non debet.
13. Ad omnem protestationem requiritur, ut sit contraria (intrinsicè vel extrinsicè) actui quem protestans voluntariè exercet.
14. Si protestatio intrinsicè repugnet actui, irritus est actus, v. g. Contractus Matrimoni-

monij, Professio Religionis, cui adijcitur, licet non semper, si adijcitur contra Etui naturam suam ex iure gentium, vel civili sortienti.

15. Si protestatio extrinsicè, & secundum accidentariam legis constitutionem repugnet actui, pro inutili & non adiecta habetur, actusque valet.

NOTANDUM I. Iusta causa supprimendi Ecclesiastica beneficia, siue supprimendi numerum canonicorum est tenuitas reddituum. Nam tot Canonici, & Ecclesie ministri institui debent, quot ex redditibus se decenter sustentare possunt, uti habetur in c. de Institut. & c. vlt. iun. Gl. ver. iuxta facultates, de ver. signif. Quare cum talis præbendarum diminutio sacris canonibus consentanea sit, eam Episcopus cum Capituli consensu facere non prohibetur, uti docet Gl. c. ex parte, ver. diminuti, hoc tit. Innoc. in c. præced. n. 2, ibid. Ioan. Andr. n. 2. Imola n. 4. Abb. n. 4. & in hoc c. n. 2. & constat ex Trid. Concil. Sess. 24. cap. 15. de reform. Multo verò magis augeri potest, imò verò debet numerus præbendarum, si redditus notabiliter aucti sint, ita ut pluribus Canonicis de cetero sustentandis sufficiant. Vide etiam, quæ dicuntur in c. maioribus 8. de præbendis.

Excipitur primò; Si præbendæ non ab Episcopo, vel Capitulo, sed ab alio fundationem acceperunt, supprimi aut diminui non possunt sine patroni consensu, uti colligitur ex c. Monasterium 33. causa 16. q. 7. & inter alios annotauit Ioan. Andr. in c. præced. n. 19. Abb. ibid. n. 5. Qui tamen rectè limitat; Nisi necessitas postulet mutationem aliquam instituere in beneficijs, & patronus requisitus consentire nolit, etiam eo inuito diminutio beneficii fieri poterit: nam patronus non potest impedire magnum bonum ecclesie.

Excipitur secundò; Si diminutio, aut suppressio beneficii cedat in commodum Episcopi & Capituli simul, quia bona communia habent, tunc ea fieri non potest ab Episcopo cum consensu Capituli: quia is in proprio facto auctoritatem præstaret, quod fieri nequit, iuxta Clem. 2. de rebus ecclesie

non

non alienandis, ubi id ipsum dicitur de vnione beneficii, & sumitur ex l. pupillus 5. ff. de aucto. tutorū, ubi statuitur, non valere contractum, quem pupillus cum tutore suo instituit, ne is in causa propria auctoritatē presteat, valitarum verò, si alter tutor, cui administratio bonorum pupilli credita est, auctoritatem interponat. Quare in supra dicto casu ad superiorem recurrendum est, videl. ad Archiepiscopū vel Papā, vt Hosfienf. docet in c. præc. ibidem. Abb. n. 5. Ioan. Andr. n. 19. sed Gl. in cit. Clem. 2. ver. mensæ suæ, rectius sentire videtur, Archiepiscopū non posse auctoritatem interponere, cum ille casus non sit inter eos, qui Archiepiscopo erga Suffraganei sui diocēsin competunt, qua de re infra hoc libr. tit. de offic. ordinarij.

Addit Gl. ibid. Neque posse per Episcopū auctoritatem effici, vt beneficium vniatur, aut reditus eius applicentur mensæ Capitulari; quia ad talem mutationem requiritur consensus Capituli, quem in propria causa præstare non potest. Intelligi autem hæc debent, si mutatio aut applicatio fiat in perpetuum; at verò ad tempus, propter necessitatem, v. g. vt debita Episcopatus, vel mensæ Capitularis soluantur, fructus beneficij vacantis eo applicari posse, annotat Gl. fin. in c. vnic. vt ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur, Felin. pluribus citatis in c. præc. n. 23. Sin autem bona Capituli & Episcopi diuisa sint, sicuti plerumque esse solent, tunc Episcopus non prohibetur ex causa iusta beneficium extinguere, aut præbendas minuere in commodum Capituli, aut fabricæ; etsi fortè indirectè & per accidens (non autem directè ac per se) ipse quoque Episcopus inde commodum ferat. Poterit quoque alicuius beneficij suppressio, aut diminutio ex iusta causa fieri, vt vni Capitularium præbendæ, v. g. Decanatu reditus applicentur; quia Capitulum tunc non dabit consensum in propria causa, quando quidem causa decani, aut singulorum canonicorum distincta est à causa Capituli, prout annotauit Felin. in c. præc. n. 22.

Excipitur tertio ab Abb. in c. præc. n. 4. Si numerus præbendarum iuramento confir-

matus sit, non posse mutari propter periurij periculum. Sed non placet hæc exceptio; quia iuramentum de retinendo certo numero præbendarum, aut canonicorum, interpretandum est, si res in eodem statu permaneat; non autem vt etiam in eum casum se extendat, si res notabiliter mutata fuerit, ita vt secundum æquitatis rationem, & sacrorum canonum præscriptum, mutatio facienda sit, secundum eundem Abb. in c. dilecto n. 18. de præbend. & consentiunt, quæ dixi in Theol. moral. lib. 4. tr. 3. c. 9. n. 2. & mox dicentur in not. 4. Qua ipsa ratione rectè dixit idem Abb. tamen si numerus præbendarum auctoritate Papali definitus sit; quia confirmatio, quamuis simplex, facta cum clausula irritante, si quid contrà factum fuerit; posse tamen numerum præbendarum augeri, auctis redditibus, vt constat ex hoc c. Atque vice versa, diminutis notabiliter redditibus, numerum diminui; dummodo redituum accremētum, vel decrementum stabile futurum esse existimetur. Videri etiam potest Nicol. Garcias p. 12. de benefic. cap. 1.

NOTANDVM II. Ibi mensæ communiter deputarunt, Capitulum vltra præbendas singulorum canonicorum habere insuper potest mensam communem, ex qua distributiones quotidianæ promantur, eleemosynæ in pauperes fiant, Officialium stipendia solvantur &c. Interdum verò canonicorum præbendæ diuisæ non sunt, sed reditus omnes Capitularibus in communi seruantur ab Oeconomo, atque inde certis temporibus, v. g. in fine cuiusque anni distribuuntur. Idemque fit, si præbendæ separatos quidem reditus habeant, sed non sufficentes. Videri potest Abb. hic n. 3. Ioan. Azor. tom. 2. Instit. moral. lib. 3. cap. 11. q. 10.

NOTANDVM III. Cum Gl. hic ver. In canonicos receperunt, Aliud est ius canoniæ spiritualis, & aliud ius præbendæ, seu fructuum temporalium percipiendorum. Potest enim aliquis esse canonicus, & nullos adhuc reditus seu fructus beneficij percipere; quare neque propriè beneficium habere censendus est. Sic etiam religiosus in monasterio, maximè si sit ex ordine Mendicantium, ait

E

Abb.

Abb. in c. dilectus 19. num. 7. de præbend. ius spirituale obtinet, sine præbenda. Sed & vice versa fieri solet, vt aliquis, non tantum clericus, sed etiam laicus, v.g. cantor, aut ædituus templi, præbendam ex redditibus ecclesiasticis habeat, nullam autem canoniam siue ius spiritualis officij, sicuti legi potest apud Imolam in c. maioribus col. 2. de præbend.

Veruntamen non decet, vt receptus in canonicum, & officio saltem horarum canonicarum astrictus, diu sine præbenda sit; quare si occasio se obtulerit, quod eam iudicis implorato officio petere possit, constat ex c. relatum 9. iun. Glossa. & c. filius 19. de præbend.

6 Num verò dum expectantes præbendam sunt, distributiones quotidianas percipere debeant (quod sanè affirmatur in cit. c. dilectus) atq; si in sacris constituti sint, voicem in Capitulo habeant, ex cōsuetudine cuiusq; ecclesie cognoscendum esse, monet Imola hic, & Azor in cit. c. 11. q. 13. post Gl. hic ver. vltra numerum.

7 NOTANDVM IV. Statutum etiam à Papa confirmatum, de certo præbendarum numero, explicari debet cum clausula, *Nisi in tantum excreverent ecclesie facultates, vt pluribus possint sufficere competenter*: Ita hic in c. Et nota, quod dicitur *in tantum*, Nam ob modicum reddituum augmentum, numerus præbendarum augeri non debet, secundum Gl. in c. 1. de Instit. & Abb. ibi n. 5. sed redditus excrecentes ad communem vsum Canonicorum, vel aliter, prout melius videbitur, applicari possunt, vt in fine huius c. significatur, & in c. vlt. de verb. signif. Porro clausula illa, *Nisi redditus excreverant*, etsi expressa non sit, tacite intelligi debet; cum sit secundum stylum Curie, & sacrorum canonum requisitum. Quare Doctores hic apud Felin. n. 6. Nicol. Euerardum in loco argumentorum 104. n. 4. & 5. generalem regulam tradunt; quod clausula apponi solita secundum loci consuetudinem, aut instrumenti vel contractus naturam, si non exprimitur, subintelleccta censetur. Vide quæ dicentur in c. significatum 11. de præbend.

8 NOTANDVM V. Si numerus Canonicorum ob reddituum incrementum augendus sit, qui nouiter creantur canonici, in perceptione re-

dituum æquales esse decet antiquis. Ita sumitur ex textu c. prope finē, *Si ex eis pares, &c.* & argum. c. cum omnes, supra, eod. tit.

NOTANDVM VI. Interdum Capitulum vltra numerum Canonicorum definitum, per gratiam extraordinariam vnū vel plures recipit, vt sint supernumerarij. Tunc valet protestatio, vt interea redditus nullos percipiant, donec præbenda vacauerit, quando ad huiusmodi receptionē Capitulum non obligatur. Imò hoc ipso quod aliquis per gratia extraordinariam, vt supernumerarius, etiam ex mandato Pontificis, recipitur, tali modo recipi censetur, vt ius in beneficio seu canonicatu plenum non habeat, vt notauit Felin. hic n. 23. Gl. hic ver. vltra numerum.

Veruntamen in casu huius c. Capitulares nihil iuuat protestatio; quia ipsi, propter reddituum incrementum, debebant nouos canonicos instituire; ideòq; institutio ea non proueniebat ex libera voluntate, sed ex officij necessitate ac debito. Quare ex textu huius c. alia regula celebris elicitur, quod protestatio non iuuat, si sit contraria facto, etiā consecutiue secundum iuris dispositionē. Ita Abb. hic n. 16. Felin. n. 77. Anton. de Butrio n. 36. eleganter Guido Papa decif. Gratianop. 172.

Pro intellectu aduerte; Protestationem, vt hoc loco accipitur, aliud non esse, nisi mentis seu voluntatis declarationem de iure suo retinendo, aut iuri alterius contradicendo: Hæ enim, quas indicaui, sunt species præcipuæ protestationis, quæ proinde requirunt, vt alicui legitima facultas ita protestandi competat. Quare communiter dici solet, quod protestatio non habentis ius nihil proficit, l. si maior 13. C. de rescind. vendit. & tradit Baldus & alij in l. Papinianus 24. ff. de Publ. in rem actione, siue, vt Guido Papa ait decif. 172. Protestatio non iuuat, si facta non sit de eo, quod est in potestate protestantis: Item, si quis de iure teneatur consentire, aut approbare actum, frustranea & inutilis est, quæ contra fit protestatio, l. Nefennius 34. iuncta Gl. ver. conueniret, ff. de negot. gestis. Sic v. g. hæretici protestari non possunt aduersus orthodoxos, siue Catholicos, ne ipsi ecclesias aut bona ecclesiastica retineant, aut amissa

seu

seu erepta recuperent: quandoquidem hæreticis nullum in illis ius competere; consequenter Catholicos in possessione eorum retinenda, aut recuperanda impedire haud possunt.

12 Deinde dici solet, quod legitime interposita protestatio conseruatiua sit iuris in futurum, apud Guidon. cit. decis. 172. num. 2. Cum autem semel ad iuris conseruationem facta est protestatio, eam repetere necesse non est, argum. l. moræ 3 2. iun. Gloss. ver. repetendi, ff. de vsuris, & tradit Bartol. communiter receptus in l. de pupillo 5. §. Si quis Prætori, ff. de noui operis nunc. Etenim vim suam & effectum semper retinet eiusmodi protestatio, quamdiu voluntariè non exercetur actus contrarius siue retractatorius ipsius. Id verò in dubio non præsumitur, sed ita actus intelligendus, vt protestationem antecedentem non tollat, prout docet Baldus in l. nouissima Cod. de pactis, Mart. Nauarr. lib. 3. conf. 34. num. 3. de Regul. Ratio dari debet, quia mutatio voluntatis, atque iuris conseruati voluntaria renuntiatio præsumi facilè non debet, l. cum de indebito 25. ff. de probat.

13 Porro ad omnem protestationem requiritur, vt non sit contraria actui, quem protestans voluntariè exercet. Est autem duplex hæc contrarietas; videlicet secundum rei naturam, & secundum iuris constitutionem, nam quod iure non possumus, id absolute efficere non posse censerì debemus. Discrimen tamen est inter protestationem seu clausulam adiectam, si ea sit actui intrinsecè, siue secundum naturam & substantiam eius repugnans; & inter protestationem seu clausulam si sit extrinsecè, videlicet secundum legis dispositionem, contraria: Nam in priore casu corrumpit actus, v. g. contractus aut dispositio, cui adicitur; eò quòd non videatur aliquis voluntariè agere, si actui clausulam aduersus eius substantiam apponat, vt constat ex cap. vltim. de condit. appositis, vbi dicitur; tamen si magnus sit matrimonij fauor, irritum tamen esse, si huius generis clausula aut protestatio adiciatur, v. g. *accipio te in uxorem, donec diuorem inuenero.* Et simili ratione, si quis Re-

ligionem profiteatur, cum protestatione intrinsecè repugnante professionis actui, vt liceat retinere proprium, irrita est professio, vt rectè docet Gloss. in cit. cap. vlt. ver. contra substantiam, Guido loco citato num. 2. Fr. Suarez tom. 4. de statu Relig. lib. 6. cap. 22. nu. 14. contra Gloss. in c. solet 6. causa 3 2. quæst. 2. ver. nolint, Ioan. Andr. in cit. cap. vlt. Felin. hic n. 75. Imolan. 41.

Veruntamen in contractibus, ex iure gentium aut ciuili naturam suam & substantiam accipientibus, plerumque aliter se res habet, videlicet, vt, si aliquis clausulam protestationemue adiciat, quæ constitutioni ac veluti substantiæ contractus, in specie expressi repugnet, clausula, seu protestatio, aut conditio adiecta valeat, faciâtque in aliam speciem contractus transire: Propterea quòd in cognoscenda specie contractus magis attendi debeat ad pacta à contrahentibus apposita, quàm ad verba, quibus eum appellarunt, vt rectè docuit Abbas in c. constitutus num. 22. de relig. domibus. Exemplum habes: Si alicui negotium mandaueris, mercede ipsi constituta, cum mandato contraria sit merces (quippe quod suapte natura ex officio descendens gratuitum esse debet) transit conuentio in contractum locationis, l. 1. ff. mandati. Aliud exemplum in contractu censuali Germanico videre licet lib. 3. moral. Theol. tract. 4. cap. 17. num. 13. ver. Alterum. Aliud sumi potest ex casu l. cum precario 12. ff. de precario, vbi habetur, si quis alteri rem precario dederit, ita vt ad Kalendas Iulias reuocare non liceat, Existimat quidem Celsus eius legis auctor, precario subsistere & clausulam eam pro non adiecta haberi. Quod ibid. approbat Bartolus, & in l. Vbi ita donatur 27. ff. de mortis causa donationibus, quasi hæc precarij conditio vt reuocari non possit, accidentaria sit, & ideo clausula ei repugnans pro non adiecta haberi debeat, iuxta doctrinam Gloss. in cap. 2. ver. Officiali, in fine, de consuetud. in 6. Quæ doctrina licet bona sit in ordine ad contrahentis falsam persuasionem, si is omnino volens precario rem dare, persuadeat sibi reuocandi facultatem ad contractus substantiam non

pertinere; Attamen in dubio potius actus ita interpretandus esse videtur, vt ei adiuncta clausula subsistat, argum. l. i. §. si conuenit, ff. de positi, & c. Abbate 25. de verb. signif. Adeo que res non precario data, sed commodata esse censeatur, iuxta regulam communiter receptam, quod conditio seu clausula apposta contra naturam contractus nominati, faciat eum transire in aliam contractus speciem. Esse autem eam conuentionem, seu clausulam, vt reuocare non liceat reuera repugnantem naturæ precarij, docet Gl. & DD. in cit. l. cum precario. Et confirmari potest ex l. si quis in principio, 22. ff. de legatis 3. vbi habetur, si quis dixerit, se mortis causa donare, ita vt donatio reuocari nunquam possit, censendam esse inter viuos factam donationem, Rationem supra dedi, quia non tam ad verba, quam ad mentem seu voluntatem disponentis attendi debet: Ea autem esse censetur, potius vt actus suus cum omnibus adiunctis, si fieri possit, subsistat, quam vt aliquid eorum pereat.

15 Venio nunc ad alterum membrum supra positi discriminis, videl. si protestatio actui voluntariè exercito contraria sit secundum extrinsecam, & accidentariam legis constitutionem. Quo in casu protestatio seu clausula pro inutili & non adiecta habetur, actus autem ipse subsistit. Exemplum habemus in textu huius c. Capitulares enim quosdam in Canonicos receperunt, cum protestatione, vt præbendas non perciperent, donec, &c. Quæ protestatio institutioni canonicorum contraria est extrinsecè, propter leges ecclesiasticas, quibus præcipitur, vt institutis præbenda assignetur, si reditus adsint. Quamobrem protestatione ea reiecta, receptio atque institutio Canonicorum consistit.

Aliud exemplum legi potest in c. 2. causa 10. q. 2. Si quis ecclesiam fundarit, adiecta clausula, vt administratio dotis ad Episcopum non pertineat, talis clausula pro non adiecta habetur, & fundatio subsistit. Quia secundum iura, inquit Glossa ibi ver. non pertinere, res omnes ecclesiarum ad ordinationem Episcopi pertinent, c. nouerint 6. ead. q. Alia verò pacta, quæ canonibus non repu-

gnant, fundator arbitrato suo adicere potest. c. verum, de condit. appof.

Tertium exemplum in supra cit. l. si quis à principio; Si aliquis testamentum condiderit, apposta protestatione, quod id reuocare nolit, ea nihil obstante, subsistit testamentum, sed reuocabile. Quia propter legum constitutionem, hæc quasi necessaria proprietatis vltimæ voluntatis est, vt contraria voluntate reuocari possit. Ad id tamen clausula ea protestationis proderit, vt, si testator aliud postea testamentum condiderit, nulla facta derogatione dictæ clausulæ, posterius testamentum pro irrito habendum sit; eò quod censeatur in memor fuisse prioris voluntatis ac protestationis, quæ si in mentem ei venisset, testamentum prius non reuocasset.

Idemque eadem ratione, si Princeps vel Communitas statutum edat, cum protestatione, vt reuocari non debeat: Nam protestatio hæc potius extrinsecè contraria esse videtur statuto, quam vt eius intrinsecam naturam euerat, quippe cum ad statuti essentiam non pertineat reuocandi facultas, sed sit conditio seu proprietas posituius legibus adiecta. Quare non obstante dicta protestatione seu clausula, statutum valebit, atque clausula id solum operabitur, vt, si postea contraria ab eodem legislatore aut successore constitutio fiat, nulla expressè facta derogatione prioris, posterior irrita censi debeat, secundum doctrinam Bartoli in l. omnes populi n. 31. ff. de iust. & iure, Abb. in c. præced. n. 3. argum. supra cit. l. si quis in principio, vbi ex Bartolo generalis doctrina refertur: Si prior voluntas est derogatoria posterioris, prior valet, nisi expressè fiat reuocatio voluntatis prioris. Quod & in priuilegiis locum habet, vti docui lib. 1. mor. Theol. c. 23. n. 26. & videri possunt, quæ dicam in c. 1. hoc tit. in 6.

CAPITVLVM X.

Ecclesia S. Mariæ.

PARAPHRASIS.

Ecclesia S. Mariæ in via lata coram seculari iu-

ri Iudice litem motuit Ioanni de Alteia, quòd possessiones quasdam ad eandem Ecclesiam pertinentes detineret. Ioannes coram Iudice proposuit, se conueniendum non esse; cum possessiones illas per venditionem transfulerit in Ecclesiam S. Syluestri. Hoc intellecto, Senator urbis, qui antea approbante populo Romano statutum fecerat, vt si quis rem religiosam pendente lite in alium transferret, possessio daretur petitori, vt alter, in quem translatio facta, cogereur fieri petitor. Vi huius statuti spoliavit Ecclesiam S. Syluestri dictis possessionibus. Monasterium supplicauit Innocentio III. qui respondit, quod à Senatore factum fuerat in præiudicium Monasterij non conuenit, nec confessi, nec conuicti, irritum esse oportere, & possessiones eidem restituendas. Rationem huius responsionis præmisit Papa, quòd laicis (quamuis piis seu religiosis) super Ecclesijs & personis ecclesiasticis nulla sit attributa facultas. Quippe ad quos obsequendi Ecclesiasticis Prælati spectat necessitas, non auctoritas imperandi. Addit verò: tamen si decretum laicorum vna parte fauorem aut commodum aliquod Ecclesiæ continere videatur, tamen firmitatem non habere, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum. In cuius rei confirmationem adducitur lex Basilij, illustris Patritij & Prætorio Præfetti, de nō alienandis prædijs, ornamentis & vasis Ecclesiarum. Quæ constitutio licet Ecclesiæ fauorem continere videatur, tamen in Romanâ Synodo sub Symmacho Papa irrita declarata est, eâ potissimum ratione, quia per Apostolicæ Sedis auctoritatem approbata non fuerit, vt videre licet c. 1. dist. 96.

SUMMARIUM.

1. Magistratus secularis circa Ecclesias, & personas Ecclesiasticas nihil cum auctoritate statuere potest.
2. Vnde leges civiles præcipiendo aut vtrando specificò disponentes de talibus

Ecclesijs aut ecclesiasticis rebus vel personis, nullam per seipsas vim habent, et si earum commodum & fauorem concernant.

3. Habent tamen illæ vim suam, si merè privilegiata sint, aut à summo Pontifice approbata.
4. Leges seculares onera, & grauamina per se ac directè imponentes ad Ecclesias, personas, vel res ecclesiasticas se non extendunt.
5. Et si specifica ecclesiarum &c. in iis legibus mentio & comprehensio fiat, quoad eam partem pro irritò haberi debet.
6. Iurisdictio territorialis tantum erga personas & res subditas extenditur.
7. Doctrina modo tradita exemplis declaratur.
8. Quo sensu dicant DD. communiter: ea statuta contra libertatem ecclesiasticam censeri, quibus Clerici timidiore redduntur.
9. Ecclesiastici, & eorum bona ecclesiastici magistratus dispositioni subiecta sunt, saluo tamen iure secularis magistratus, si bona immobilia reali aliquo onere affecta sint.
10. Princeps secularis privilegio, quo granantur Clerici, moderatè uti debet.
11. Clerici legibus secularibus ex obiecto non onerosis secundum vim directiuam obligantur.
12. Leges indifferentes, tum ad commodum tum ad onus afferendum personis singulis, non sunt censenda ex obiecto onerosa.
13. Leges communes potissimum approbata sunt à SS. Canonibus, non ita statuta municipalia communibus legibus aduersantia.
14. Maior fauor & exemptio à legibus civilibus cõpetit ipsis ecclesijs & causis pijs, quam Clericis in particulari.
15. Probabilius est, non valere testamentum in terris Imperij, sine solemnitatibus à Iure Casareo requisitis.
16. Statuta & pacta familia idem ius for-

tiuntur, quod leges & statuta publica
fortiri supra dictum est.

17. Sententia Iudicis lata, parte non
citata, vel non datâ copiâ defensionis,
aut sine cognitione causâ, irrita est.

NOTANDVM I. Magistratus secularis
circa ecclesias & personas ecclesiasticas
nihil cum auctoritate statuere potest. Ita hic,
& eisdem ferme verbis refertur ex Concil.
Lateranensi sub Innoc. III. in cap. vlt. de re-
bus ecclesiæ non alienandis; *Cum laicis,*
quamuis religiosi (seu pii) disponendi de
rebus ecclesiæ nulla sit attributa potestas, quos
obsequendi manet necessitas, non auctoritas
imperandi. Ratio itaque est; Quia nulla
iurisdictio extendere se potest extra limites
suos l. vlt. ff. de iurisdictione omnium iudi-
cum: Atqui Ecclesiæ, res, & personæ ec-
clesiasticæ sunt extra limites iurisdictionis
ac potestatis secularis; quod apud Christia-
nos omni iure notissimum est, vt proinde
etiam Trident. Concilium dixerit Sess. 25.
cap. 20. de reform. *Ecclesiæ & personarum*
ecclesiasticarum immunitatem Dei ordina-
tione, & canonicis sanctionibus constitutam
esse. Confirmatur ex supra dictis. Statutum
sumit vires à potestate statuentium c. à no-
bis, l. de sentent. Excom. Cùm autem nul-
lus Magistratus secularis, neque etiam Im-
perator habeat potestatem super ecclesiis &
personis ecclesiasticis; sequitur, nullum lai-
cum quidquam statuere posse super rebus
ecclesiasticis. Vide quæ dixi lib. 4. Theol.
moral. tract. 9. & plura dicenda erunt lib. 3.
decret. tit. de immunit. eccles.

Vniuersim autem hic disputari solet;
Quenam leges secularis Principis aut Ma-
gistratus erga ecclesias, res, & personas ec-
clesiasticas vim aliquam habere possint, aut
non possint. Quæ de re dicendum est pri-
mò; Si lex secularis magistratus, præcipi-
endo aut vetando, specificè disponat de ec-
clesiis, aut ecclesiasticis rebus vel personis,
nullam per se ipsam vim habet. Hæc est præ-
cipua intentio huius c. & habetur etiam in
cap. 1. d. 96. c. quæ in ecclesiarum, supra hoc
titulo. Ratio est manifesta; quia lex vim

obligandi non habet sine iurisdictione: siue
vt aliter dicam, præcipere & vetare per le-
gem, iurisdictionis actus est: Cùm itaque
secularibus nulla erga ecclesias, res, item
& personas ecclesiasticas sit attributa pote-
stas iurisdictionis; sequitur, huiusmodi co-
rum leges irritas esse.

Ampliatur autem assertio, vt locum
etiam habeat, tametsi lex secularis ecclesia-
rum, vel ecclesiasticarum personarum fa-
uorem & commodum respicere videatur,
vti hic expressè dicitur, & auctoritate Sy-
nodi Romanæ sub Symmacho Papa confir-
matur. Causa est; Cùm enim magistra-
tus secularis per eiusmodi legem, (qua, ex-
empli causa, alienatio rerum ecclesiasticarum
prohibetur, nisi forma per legem præscri-
pta obseruata fuerit) iurisdictionem sibi v-
surpet erga ecclesiasticas res, aut personas;
duo inde sequuntur incommoda; Videli-
cet quòd & vim constringendi lex non ha-
beat, quippe extra limites potestatis ten-
dens; & Ecclesiæ magis noxia sit, quàm vt
commodum aliquod afferat: Propterea quòd
eà res in exemplum trahi possit, vt vel idem
magistratus, vel alij seculares arbitratu suo
de rebus ecclesiasticis statuunt.

Aduertèdum autem primò, quod dictum
est in assertione; *Præcipiendo ac vetando,*
At verò si leges secularium merum fauorè,
siue priuilegium ecclesiis, aut clericis tri-
buant, eæ subsistere possunt: Nam qui pri-
uilegium dat, nõ arrogat sibi iurisdictionem
aut imperium in priuilegiatum; partim
quia priuilegia etiam non subditis, ipsisque
extraneis dari possunt; partim quia ad pri-
uilegij dati acceptationè & vsum nemo cogi-
tur. Legi potest de hac re Abb. in c. quod
clericis n. 41. de foro comp. & hic n. 25. 26.
& in repet. huius c. n. 37.

Secundò, quod in assert. dixi, *per se ipsam,*
At verò leges à seculari magistratu de per-
sonis aut rebus ecclesiasticis latas Roman.
Pontifex approbare, iisque auctoritatem tri-
buere potest. Tunc verò non obligabunt ex
vi secularis potestatis, sed ecclesiasticæ, à qua
approbationem, confirmationemque acce-
perunt. Et ita significatur in hoc c. ver. *nisi*
ab Ec-

ab Ecclesia fuerit approbatur, ubi id Gl. annotavit, Abb. n. 10. Azor tom. 1. moral. instit. lib. 5. cap. 12. q. 3. & exemplum eius rei habes in c. licet. de sepult. in 6. Et tunc quidem leges ita confirmatae per Papam redduntur validae, non ex actu statuentium, sed ex auctoritate confirmantis, qui inutile reddit v. tile, & ex infirmo facit firmum. argum. c. fin. & ibi Glos. vers. consensus. 16. q. 1.

Corollarium. Authenticæ constitutiones Iustiniani Imperat. quas limites potestatis suae egrediens, de Ecclesijs, Episcopis, Clericis, Monachis præcipiendo & vetando constituit, per se ipsas nullam obligandi vim habent; tamen si eae in Gratiani decretum insertae reperiantur: Cum is nullam prorsus potestatem præditus fuerit leges secularium Principum approbandi, aut canonizandi, sicuti docent Canonistae, nominatim Anton. de Butrio & Felinus in c. 2. de rescript. in fine. Veruntamen si ipsemet Pontifex in decreto suo aut decretali responso Imperatoris de rebus ecclesiasticis constitutionem aliquam alleget, censetur eam approbare & confirmare. Accedit, quod aliquae eius generis Imperiales constitutiones, quae ex obiecto vitales videbantur, ipsa generali ecclesiarum acceptatione & usu approbatae censeri debeant; ut proinde iam non tam Imperiales, quam ecclesiasticae esse videantur. Legi hic potest Ioan. Andr. & Imola, qui bene ait n. 3. eiusmodi secularis magistratus statutum, de rebus ecclesiasticis editum, ab inferioribus, seu particularibus ecclesiarum Praelatis acceptari aut approbari non posse. Quod etiam tradit Abb. in repet. huius c. num. 5.

4. DICENDUM SECVNDO. Leges seculares, quae generatim latae sunt, si per se & ex proprio obiecto, onus seu gravamen imponant, aut iuri acquisito derogent, ad ecclesias, personas, & res ecclesiasticas se non extendunt: Ita DD. communiter, Bartol. in l. cunctos populos q. 5. n. 28. C. de sancta Trinit. Imola in c. 1. ibid. Abb. n. 1. de consuet. Idem Abb. super hoc c. n. 25. in repet. c. n. 14. 17. 37. & in c. constitutus n. 3. de integritate restit. Imola hic n. 9. Felin. q. 2. n.

69. Syl. in summa ver. lex q. 15. Andr. Gaill lib. 2. obseru. 32. Suar. in lib. de eccles. immunit. cap. 22. Ratio dari debet: Quia huiusmodi leges, onera & gravamina per se ac directè imponentes, præ se ferunt iurisdictionem erga eos, quibus feruntur: At, ut supra dictum, clerici siue personae ecclesiasticae subditae non sunt seculari magistratui; sed diuino pariter ac humano iure exemptae, ac liberae, c. quamquam de censib. in 6. ubi idem dicitur de ecclesijs, & rebus ipsarum. Sicut enim res sacrae à profanis, spiritualia à temporalibus discreta sunt, ita & potestas ecclesiastica, & potestas secularis diuersae ac discretæ, c. duo sunt 10. d. 96. Et ita quidem, ut sicuti corpus animae, temporalia aeternis, profana spiritualibus, ita & potestas politica potestati ecclesiasticae tanquam praestantiori cedere & subordinata esse debeat, cit. c. 1. & c. duo sunt, d. 96. c. solita 6. de maior. & obed. extrauag. Vnam sanctam eod. tit. Sed nec possunt ecclesiasticae personae se, aut ecclesias vel bona earum potestati seculari subijcere, c. 2. de iudic. c. si diligenti 12. de foro compet. Vide Abb. hic num. 6.

Hinc colligi potest; Si eiusmodi leges 5 per se ac directè grauant, aut onera imponentes, in Republic. generatim latae sint, ijs ecclesias, & personas ecclesiasticas non censeri comprehensas. Sin verò specifica mentio & comprehensio clericorum, aut ecclesiarum, vel ecclesiasticarum rerum in statuto fiat, quoad eam partem pro irrito haberi debet. Id verò minus ferendum, si ratio statuendi de rebus aut personis ecclesiasticis in statuto afferatur, iurisdictionis territorialis magistratui civili competens; cum iuribus tam civilibus, quam canonicis, & apud omnes Doctores notissimum sit, iurisdictionem territorialem non nisi erga personas & res subditas extendi; cuiusmodi non sunt res & personae ecclesiasticae. Si quid iuris de rebus ecclesiarum disponendi seculares sibi vindicare volunt, super privilegio & concessione Praelatorum ecclesiasticorum, praesertim Summi

Ponti-

Pontificis intentionem fundare debent; aut saltem super consuetudine immemoriali, quæ tamen præsumptionem factæ concessionis seu priuilegij secum ferat; dummodo capacitas sit in possidente, & eiusmodi priuilegium concedi non sit insolitum. Quæ de re dicitur in c. quando 4. de consuet. in c. generali 13. de elect. in 6. & in tit. lib. 3. decret. de immunit. eccles.

Adhuc verò grauius delinquit magistratus secularis, si & pœnam ac gratiæ suæ amissionem, clericis statuti sui transgressoribus, vnà cum laicis, tanquam inobedientibus, aut pertinacibus, adijciat, vel minetur. Quia statuta huiusmodi ecclesiasticæ libertati nimis apertè repugnant, atque à pietate & consuetudine Catholicorum Principum aliena sunt.

Dicet aliquis; Eiusmodi leges onera imponentes clericis æquè ac laicis, non nisi potestate iurisdictionis erga ecclesias, aut personas, vel res ecclesiasticas; sed tacito quodam pacto, & iuris naturalis æquitate. Cùm enim personæ ecclesiasticæ vnà cum laicis, partes & membra ciuilibus Reipub. esse velint, & communibus commodis, ac iuribus gaudere, decens est, atque intelligi oportet, quòd etiam oneribus, grauaminibus, & exactionibus communibus subiecti esse debeant, iuxta iuris reg. 55. in 6. *Qui sentit onus, sentire debet commodum, & contra.* Accedit, quòd magistratus secularis curam obligationemque gerat non minus ad defendendas ecclesias, res & personas ecclesiasticas, quàm erga laicos subditos & bona eorum; Ergo neque ecclesiastici conqueri possunt, si quippiam ab eis exigatur, aut auferatur.

Respondeo; Pactum istud, aut cõsensum tacitum nullum esse; cùm summus Pontifex aliique ecclesiastici Prælati perpetuò reclamant, & contradicant; ipsæ autem personæ clericorum priuatè consentire, aut se obligare non possint, vt supra dictum. Sed neque ratio æquitatis, aut iuris regula hîc locum habet; quandoquidem ecclesiasticis personis iura ea & commoda communia ciuitatis, aut Reipub. conceduntur ex debi-

to, propter spiritualia officia, quæ diebus & noctibus, sacrificijs ac precibus apud Deum instantes, & Sacramenta ministrantes, præstant; & accommodari huc potest dictû Apostoli epist. 1. ad Corinth. cap. 9. v. 11. *Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est, si carnalia vestra metamus.* Non debent itaque ecclesiasticæ personæ, contra eorum iura & accepta exemptionis priuilegia, aliis oneribus grauari. Defensionem quoque ex eo, quem dixi, titulo, secularis magistratus ecclesijs, personis ac rebus ecclesiarum ex officio debet; non itaque iuste agit, si ob id, ad quod ratione officij & ex iustitia obligatus est, onera & exactiones imponat. Satius videri debet cuique Catholico Principi, si ob continuas preces & sacrificia, quæ pro ipso in ecclesijs offeruntur, à Deo patrocinium & defensionem accipiat; & non tanti æstimare, quòd ipse ecclesias & ecclesiasticos defendat, vt mercedem inde atque bonorum ecclesiasticorum diminutionem postulet; interim verò diuino patrocinio destituatur; Ita enim plerumque animaduersum est, & ex ecclesiastica traditione notum, eos à Deo derelictos, infeliciter gubernasse, aut vitam infeliciter finijse, qui ecclesiasticam immunitatem multùm expugnarunt, aut violarunt.

Nunc ad declarandum assertionis sensum exempla quædam afferemus. Primum & notissimum est, si exactiones, collectæ, angariæ, seu vehiculares, aut similes præstationes personis ecclesiasticis indicantur, contra earum priuilegia & immunitates vtroque iure stabilitas, videl. in Authent. Cassa C. de sacrosanctis Ecclesijs, & in l. 1. Auth. Item nulla Cod. de Episc. & clericis. c. non minus 4. c. aduersus 7. de immunit. ecclesiar. c. 3. eod. in 6. c. quamquam, 4. de censib. in 6.

Alterum. Si leges seculares pœnam aut inhabilitatem quamcunq; decernant, comprehendendo etiam personas ecclesiasticas, ob delictum proprium, aut parentum. Videl. si statuto municipali cautum sit, vt filij illegitimo concubitu nati intestabiles existant, eorumque bona post mortem ad secularem fiscum deuoluantur. Hæc lex clericos & Religiosos obligare non potest, cùm pœnalis

nalis & coactiua sit. Quòd sanè extra con-
trouersiam est, si loquamur de bonis ex qua-
cunque causa acquisitis post susceptum cle-
ricatum: quippe quæ nec per se, neque rati-
one personæ possidentis, seculari magistra-
tui subiectæ sunt. Sed idem quoque sentien-
dum de bonis ante clericatum acquisitis: Si-
quidem in casu isto bona illegitimè nati dici
non possunt per se, seu reali aliquo vinculo
obligata fisco, sed duntaxat per accidens, & in
ordine ac dependentia ad personam, si ea in
subiectione vsque ad mortem perseueret. Sin
autem persona à seculari magistratu per cle-
ricatum eximatur, eximitur etiam res: Præ-
fertim in hoc casu, cum statutum illud prop-
rium effectum suum nõ assequatur, aut ex-
ercere possit ante mortem illegitimè nati.
Qua de re videri potest, quæ hîc scripsit Fe-
lin. n. 79. & n. 101.

Tertium. Statutum magistratus secularis,
quo decernitur, vt si quis incolarum bona
sua ex ciuitate aliò transferat, partem aliquã
v. g. decimam fisco, aut Communitati solue-
re cogatur, ecclesiarum aut ecclesiasticarum
personarum bona comprehendere non po-
test; ob defectum potestatis statuendi de his
bonis, atque in præiudicium ecclesiarum, &
ecclesiasticarum personarum, sicuti copio-
sius tradit Abb. hîc in repet. c. n. 38. 39. Si-
mile statutum est, si quis ciuium filiam, aut
filium Religionem ingressurum dotauerit,
vt partem detrahare Magistratui liceat: Aut,
si quis ad piam causam legauerit, aut donaue-
rit, vt partem aliquam publicæ fabricæ ap-
plicare necesse sit. Cuiusmodi statuta nulla
etiam consuetudine stabiliri posse, post Ho-
stiens. testatur hîc Felin. num. 94. ex cap. 1. de
consuet.

Quartum. Statutum, vt si quis incola-
rum vitâ excedat, aliqua pars bonorum eius
loci Domino applicetur, tamen si ponamus
respectu secularium subditorum iustum esse
posse, tamen respectu clericorum iniustum
est, & ipso iure irritum, atque ecclesiasticæ
libertati penitus repugnans, vti per se, & ex
dictis patet.

Quintum. Si municipali v. g. statuto de-
cretum reperiatur, vt qui Religionem in-

grediuntur, ab hæreditate excludantur, vel
vt parte aliqua hæreditatis, aut vitalitio con-
tenti esse debeant. Ita Abb. in repetit. huius
c. n. 35. Felin. nu. 78. Gaill. cit. obs. 32. nu. 4.
Tale enim statutum retrahit à Religionis in-
gressu, siue facit homines timidiore, &
impeditos magis, ne ingrediantur, ait Felin.
ibid.

Sextum. Si statutum municipale sit, vt
res immobiles æquè ac mobiles triennij spa-
tio vsucapiantur, irritum est in ordine ad
personas ecclesiasticas. Idque in Camera Im-
periali decisum esse, testatur Gaill. cit. obser-
uat. 32. ob regulam, quòd *statuta laicorum
non ligent clericos, cum sint contra liberta-
tem ecclesiasticam*, iuxta Auth. Cassã, vbi
Bartol. & alij C. de SC. ecclesiis.

Septimum. Si statutum simpliciter ac ge-
neratim disponat, vt res immobiles non lice-
at alienare in extraneos aut non subditos, nõ
extendit se ad clericos seu ecclesiasticos, vti
ex communi docet idem Gaill. ead. obs. 32.
n. 3. Idque, sicuti & alia suprã posita exem-
pla multò magis locum habent, si eiusmodi
statutum onerosum specificè disponat con-
tra ecclesiasticos, vt ipsis vendere v. g. non li-
ceat, prout constat ex 1. assert. & habetur ex-
pressè in c. vlt. de immunit. eccles. in 6. tana-
etli Gaill. n. 6. oppositum defendere conatus
sit, post Baldum super hoc c. n. 6.

Porrò ex dictis declarationibus colligi
potest, quo sensu dicant DD. communiter
cum Bartolo in cit. Auth. Cassã, & in l. 1. §.
Quæ onerandæ, ff. quarum rerum actio non
datur, & videre licet apud Suarez de immu-
nit. eccles. cap. 22. n. 11. Ea statuta contra li-
bertatem ecclesiasticam censerentur, quibus cleri-
ci timidiore redduntur. Quemadmodum e-
nim, quæ à seculari potestate commoda, fa-
uores ac priuilegia clericis conceduntur, cle-
ricalem statum cohonestant, ipsos Clericos
seu ecclesiasticas personas animant, & ad of-
ficia sua erga populum fidelem alacrius ob-
eunda excitant, aliòsque plures ad statum
clericalem amplectendum prouocant, Ita vi-
ce versa, onera & grauamina, quæ laicorum
statutis ac præceptis, personis ecclesiasticis
seu directè, seu indirectè atq; in effectum, infe-

rantur, Clericorum, seu ecclesiasticorum, statum dehonestant, & ignobilem ac despectum reddunt; Clericorum animos contristant, ac deiiciunt, aliosque à statu clericali seu ecclesiastico absterrent. Quemadmodum enim libertas & immunitas homines ornat & extollit, ita contraria seruitus ac subiectio eosdem deprimit; ut colligitur ex cap. 1. in princ. de immunit. eccles. in 6. ibi, *Libertatem & immunitatem ecclesiasticam ledere ac minuire, tanquam honoris & priuilegij ecclesiarum inuidi moluntur.* Etenim ad conseruandum Ecclesiæ decorem, & officiorum ac Sacramentorum dignitatem, Deiq; ac Christi augendum honorem, necessaria est semperq; fuit immunitas; ac libertas ecclesiasticorum, quæ proinde à pijs Principibus frequenter agnita, legibus stabilita, à summis Pontificibus confirmata & præcepta est; & idcirco non nisi impiè violari potest.

9. Id. quoque hoc loco animaduertendum, quòd ecclesiastici, eorumque bona siue redditus ecclesiastico Magistratui subiecta sint, qui proinde de iis disponere possunt, quandoque etiam onera imponendo; saluo tamen iure secularibus potestatibus competente, si bona, videlicet immobilia, reali aliquo onere affecta sint: Quæ de re alibi agendum. Hoc autem seclusò, si etiam magistratui seculari Clericos seu personas ecclesiasticas grauare concessum esset, profectò durior ac miserabilior foret conditio Clericorum, quàm ipsorum Laicorum. Id verò ab omni pietate, & Christiana traditione abhorret.

10. Corollarium. Si Principi alicui seculari priuilegium à Rom. Pontifice concessum esse ponamus, ut occurrente aliqua communi necessitate, ab ecclesijs & ecclesiasticis collectam ei exigere liceat; necesse est eum moderatè, uti priuilegio, & ita ut ecclesiastici non nimis grauentur: Cùm, ut supra dixi, alia sit eorum ratio, & conditio, quàm Laicorum: Ipsèque secularis magistratus, quantumuis in hoc genere priuilegiatus sit, maiorem potestatem gerat erga laicos, tanquam subditos; quàm erga clericos, quippe quorum primordialis exem-

prio per concessum priuilegium non cessat. Denique priuilegium eà semper conditione concessum esse censetur, ut, si temporis progressu ecclesijs nimis graue & damnosum reddatur, reuocari debeat, sicuti constat ex c. suggestum 9. de decimis.

DICENDVM TERTIO: Si leges seculares specificè non disponant de ecclesijs, aut ecclesiasticis rebus vel personis, neq; ex obiecto suo onerosæ sint, ob publicam utilitatem communiter latæ, circa materiam pertinentem ad iurisdictionem secularem, iis etiam ecclesiasticæ personæ secundum vim directiuam, non coactiuam obligantur. Hæc est communis Doctorum sententia, teste Suarez lib. 3. de legibus cap. 34. num. 6. & in tract. de immunit. eccles. cap. 16. num. 13, 20. & docii lib. 1. Theol. moral. cap. 13. ubi etiam dixi num. 6. Hanc obligationem erga Clericos directè non prouenire ex legibus civilibus, cùm eæ extra limites potestatis suæ extendi non possint; sed potius ex ecclesiastica potestate, per quam Clericis præcipitur, quod & naturalis æquitas postulat, ut pro seruanda communi pace ac quiete, civilibus legibus se conforment.

Primo maiore intellectu aduertendum est: primò, Quod in assert. dixi, si leges ex obiecto onerosæ non sint. Interdum verò lex pro communi bono lata, indifferens est tum ad commodum, tum ad onus afferendum personis singulis, v. g. ut masculi in successione hæreditaria feminis præferantur, ut in contractu aliquo instrumentum interueniat. Huiusmodi statuta censeri non debent ex obiecto onerosæ, sicuti bene docet Abb. in repet. huius c. n. 40.

Secundò, A sacris canonibus potissimum approbatæ sunt leges communes, præsertim Imperatoriæ; at verò non ita approbantur specialia locorum statuta, quæ aduersus communes leges à seculari magistratu condita sunt. Ex quo colligitur, veram esse doctrinam Ioan. Imolæ hinc n. 12. Abb. in repet. huius c. n. 39. Felini n. 81. contra Bart. in cit. l. omnes populi q. 5. statuto municipal. quòd solempnitates in testamento ultra ius comune requiruntur, non obligari Clericos, v. g. ut testa-

testamentum non valeat, nisi adhibiti sint octo testes, aut nisi intra sex menses magistratui exhibitum fuerit. Quia talibus statutis, per canones non approbatis, admittitur ecclesiasticis facultas testandi secundum ius commune, sicuti alioquin testari possent. Eademque ratione non male resoluit Abb. in repet. huius c. n. 36. & in c. quod Clericis n. 32. de foro comp. ibid. Ioan. Imolan. 4. & bene declarat Felin. hic n. 191. Quod statutum municipale, ut primogenitus à paterna hereditate excludat fratres postea natos, non obliget eos, qui tempore conditi statuti Clerici erant: secus autem, si eo tempore Laici & subditi fuerunt: tunc enim per constitutionem ab hereditate patris, excepta portione legitima, exclusi censentur, eò quod ius primogenituræ, si statuti, statim acquisitum sit primogenito.

Sed alia est ratio de legibus communibus, maxime Cæsareis. Sic enim DD. apud Abb. in repet. huius c. n. 18. fatentur, quod Clericus, si hæres institutus inuentarium non fecerit, ultra vires hereditatis condemnari possit in externo foro, ex l. vlt. C. de iure deliberandi. Præterea, si Clericus hæres institutus, intra annum postquam à iudice moritus est, voluntatem defuncti non impleat, priuabitur hereditate, iuxta Authent. Hoc amplius, Cod. de fideicom. Expeditius tamen est dicere, Auth. illam iure canonico receptam & stabilitam esse, atque ad eius imitationem canones editos, quibus Clerici obligantur, c. si hæreses 6. de testam.

¶ 4 Secundò aduertendum, maiorem cùm fauorem, tum exemptione à legibus civilibus, competere ipsis ecclesiis & causis piis, quam Clericis in particulari. Quandoquidem causa publica fauorabilior est, quam priuata; & illa per se ipsam magis directè & propinquè ad Dei cultum refertur. Inde colligitur veram esse doctrinam Abb. in cit. c. quod Clericis num. 26. Felin. super hoc cap. num. 82. Licet respectu Clericorum, seu ecclesiasticarum personarum particularium vim habeant leges Cæsareæ, quibus irrita v.g. redditur donatio facta supra solidos aureos 500. absque iudicis auctoritate, non item vim ha-

bere, respectu ecclesiæ aut causæ piæ, puta si pauperibus, aut xenodochio donatio facta sit. Simili ratione, tametsi testamenta secundum ius Cæsareum, minus solemnia irrita sint eorum respectu, quæ Clericis seu personis ecclesiasticis relicta sunt, tamen comparatione eorum, quæ ad causas piæ relicta, nulla ciuiliū legum solemnitas necessaria est: quia causa animæ, & causa Dei, quæ hic proximè agi censetur, adeo fauorabilis est, ut nulla constitutione ciuili, supra ius naturale, & gentium, restringi debeat, uti hic in repet. c. notauit Abb. num. 38. Felin. num. 83. eum Glossa in c. cum esses 10. ver. improbamus. de testam.

Sed quid sentiendum de ipsis Clericis, si 15 testentur in terris Imperij, vel alio regno, in quo septem testes ad testamenti valorem, aut saltem quinque ad alterius voluntatis requiruntur, num. & ipsi eadem lege adstringantur? Negant aliqui, quos secutus est Suarez de immunit. eccles. cap. 16. in fine. Sed contrarium magis placet, quod tradidit Abb. in repet. huius cap. num. 45. Lud. Mol. tract. 2. de iust. disp. 133. num. 8. Non valere testamentum Clerici conditum in terris Imperij, si solemnitates Cæsarei iuris adhibite non sint. Et hæc sententia in praxi obseruatur.

Porro quod dictum est de legibus & statutis publicis, idem quodammodo dici potest de statutis & pactis familiarum. Si videlicet unius familiæ agnati inter se cum secularis Principis approbatione paciscantur, ut nemo etiam ex hæredibus suis, absque aliorum & familia consensu, notabile quippiam donare aut legare possit, ita videlicet ut hæredes, qui ipsimet pacti sunt, non aliter ad hereditatem, ultra portionem legitimam, admittantur, nisi prius iuramentum seruandi statuti præstiterint. Talis pactio siue statutum firmum erit quoad causas profanas, etiam ipsas Clericorum personas particulares, si ijs donatio aut legatum non intuitu Ecclesiæ fiat. Non valebit autem statutum in præiudicium Ecclesiæ; siue non eò se extendere poterit, ut neque ecclesijs aut causis pijs quispiam ex bonis proprijs non

requisito aliorum consensu, donare aut legare possit, sicuti iure naturali & communi concessum est.

Cæterum si aliquis bonis suis, de quibus liberam disponendi facultatem habebat, vinculum apponat per fideicommissum, ut alienari extrâ familiam non possint, sed semper ad familiæ primogenitum, aut maiorem natu v. g. pertinere debeant, id omnimodè obseruandum; ita ut alienatio neque in ecclesiarum fauorem fieri queat.

Tertiò aduertendum, in politicis contractibus, atque iudiciis contra laicum institutis in foro ciuili, valde conueniens, imò necessarium esse, ut clerici vnà cum laicis, inter quos degunt, eisdem legibus & statutis obligentur, prout videre est apud Hostiens. in summa de testam. §. Quomodo conficiantur, vers. verum Gl. in c. quod clericis 9. vers. aliquos de foro compet. Imolam hîc n. 11. Felin. n. 81 casu tertio. Quandoquidem idem quoque obseruatur in extraneis seu non subditis, si alicubi contrahant, aut litigent, ut eiusdem loci leges aut consuetudines obseruare debeant, l. si fundus 6. ff. de euidtionibus, vbi dicitur, inspiciendam esse consuetudinem loci, in quo contractum est. Imò hæc ipsa etiam dici debent de ecclesijs, si earum nomine contractus aut iudicia exercentur in foro ciuili, seruandas esse leges & consuetudines eiusdem fori, dummodò iustæ & sacris canonibus repugnantes non sint. Quia hoc in casu ecclesia emens v. g. prædium, perinde se habere censetur, ac persona particularis: dummodò salua interim maneant iura specialia & priuilegia ecclesiarum, v. g. ut in integrum restitutionem petere possint, si læsæ sint.

Restat, ut pars altera tertiæ assertionis declaretur, videlicet ciuilibus legibus, quæ ex obiecto non onerosæ, ob publicam Reipubl. quietem communiter latæ sunt, Clericos non obligari secundum vim coactiuam, id est, ut ad eiusmodi legum obseruationem cogi possint à magistratu seculari per citationem, condemnationem, sententiæ latæ executionem, multæ impositionem. Nam tales actus iurisdictionis coactiuæ exerce-

ri non possunt, nisi erga personas subditas: Clerici autem subditi non sunt seculari magistratui, sed notoriè exempti & liberi.

Atque hæc ipsa immunitas, si rectè aduertimus in hoc c. secundum præcipuam Innoc. III. Pontificis intentionem, defensa fuit. Non enim negauit Papa, possessionem ecclesijs & personis ecclesiasticis auferendam esse, si scienter eas esse litigiosas emerint, aut per aliam contractus speciem sibi compararint, uti statutum est in lege vltima, Cod. de litigiosis; Imò constitutionem istam ipsemet Pontifex in tali causa approbavit lib. 2. decret. tit. Vt lite pendente nihil innouetur, c. ecclesia 1. & 2. Sed aliud est, quod hîc damnauit Innocentius III. videlicet Senatorem vrbs executionem eius legis etiam erga ecclesias facere ausum fuisse, cum tamen huiusmodi actus iurisdictionis coactiuæ ad Iudicem ecclesiasticum propriè spectare debeat.

NOTANDVM II. Sententia Iudicis, quæ ¹⁷ fertur parte non citata (præterquam si res notoria sit, ut nulla tergiversatione celari possit; quamuis & tunc citatio plerumque fieri debeat ad audiendam declarationem de notorio) vel non data copia defensionis parti, quippe cum defensio iure naturali debeat, aut quæ lata est sine cognitione causæ, pro irrita haberi debet. Ita sumitur ex hoc cap. in fine, & dicendum de his fusiùs in lib. 2. decretal.

CAPITVLVM XI.

Ex literis.

P A R A P H R A S I S.

Cum quidam Magistri, seu Professores Vniuersitatis Parisiensis antiquas & laudabiles Collegij consuetudines transgredierentur, Collegium Magistrorum interposito iuramento statutum edidit, ut si quis ex Magistris seu Professoribus ordinationi totius Collegij resisteret, & tertio monitus nõ pareret, ex eo tempore Collegij cõmuniõne, & magistratibus actibus priuaretur. Postea in talè ordinationis eiusdem transgres-

transgressionem cum contumacia iuncta incidit Guilielmus Magister, quæ proinde Vniuersitas Magistrorum à societate sua & Magistratibus excluderunt. sed quia is postea à contumacia recedens satisfactioni condignæ se obtulit, dubitabant Magistri, an Guilielmum, non obstante iuramento eorum, recipere possent ac deberent. Respondit Innoc. III. Post debitam satisfactionem restituendum esse: cum enim in statuto expressum non fuerit, ut pœna exclusionis seu priuationis à contumacibus incurta perpetua esset, intelligi debere secundum ius commune Canonicum, ipsùmque stylium seu consuetudinem Curie Romanæ, ut pœna contumacibus inflicta duret, donec à contumacia recesserint.

SUMMARIUM.

1. Collegium Magistrorum artium & scientiarum possunt edere statuta iurisdictionalia, pertinentia ad professionem.
2. Potest Collegam ob crimen commissum priuare communione reliquorum Collegarum, saltem ad tempus, & iure ordinario: priuatio perpetua, plerumque reservata est Vniuersitati Rektori.
3. Pœna priuationis propter alicuius contumaciam lata, non expressâ eius perpetuitate, dependet à contumacia, ita ut hac cessante, etiam illa cesset.
4. Particulare statutum recipit interpretationem à iure communi, & stylo curie, qui ius facit.
5. Contumacia transiens in specificum debitum priuatione perpetua, post repetitam vocationem & admonitionem puniri solet: quæ tamen si reservata non sit, per ordinariam dispensationem aut remissionem tolli potest.
6. Pœna ob aliud crimen absolutè per sententiam definitiuam in iudicio illata, videtur esse perpetua, saltem donec condamnatus restituatur.
7. Si in aliquo Collegio equali numero sen

potestate sint Clerici & Laici, illud censeri debet Ecclesiasticum.

8. In Vniuersitatibus studiorum creandus est Rektor Clericus, ut in Studiosos Clericos habeat iurisdictionem.
9. Iuramentum appositum actui intelligi debet secundum naturam eius.

NOTANDUM I. Collegium Magistrorum artium aut scientiarum liberalium statuta edere possunt, pertinentia ad professionem suam. Ita sumitur ex hoc c. ver. ordinationi Vniuersitatis, vnde id Canonista hic communiter colligunt, & Sylver. lex 44. Item ex l. vlt. C. de iurisdictione omnium Iudic. & ex Auth. Habita C. Ne filius patre. Videri potest Abb. hic n. 1. & n. 7. Felin. n. 5. vbi resoluunt, Licet Collegium seu Vniuersitas Magistrorum caput seu rectorem non habeat, quod nihilominus ipsi corp⁹, seu omnes collectiue sumpti iurisdictionem habeant in singulos è collegio, eoque delinquentes punire possint, sicuti etiâ Imola hic annotauit n. 5.

Suarez tamen lib. 4. de legibus cap. 6. n. 13, aliter intelligit, sermonem in hoc c. non esse de statuto alicuius iurisdictionis, sed fidelitatis ob mutuam pactum & interpositum iuramentum, ob verba ea, *Licet à vobis fide præstita fuerit constitutum*. Sed magis placet intellectus Glossæ summarie hic Imolæ n. 1. fuisse verum statutum ex iurisdictione proueniens, iuramento confirmatum, ut postea iterum dicam.

NOTANDUM II. Collegium v. g. magistrorum seu professorum, collegam ob commissum crimen eiusmodi pœnæ proportionatum, priuare potest communione ipsorum, & excludere à facultate & actibus communibus, videl. conuentibus, consiliis, examinationibus, Doctorum creatione, publicâ professione; Ita ex hoc c. colligunt Ioann. Andr. num. 10. Abb. n. 3. Imola n. 2. Inspicienda tamen sunt cuiusque Vniuersitatis originalia statuta, priuilegia, consuetudines. Plerumq; enim eiusmodi exclusio seu priuatio, præsertim si in perpetuum inferatur, supremo Vniuersitatis rektori aut

gubernatori reseruata est. Videri etiam potest Felinus hic n. 7. quando resoluit, cum Bartolo in l. sed & reprobari 7. ff. de excusat. tutorum, non tantum Medicum, postquam semel approbatus a Republ. fuit, iterum ex causa iusta reprobari posse, ut dicitur in ea lege, sed etiam alios Doctores & Magistros, si postea intelligatur, imperitos esse atque ineptos, similiterque Curatos, etsi ad vnam vel alteram ecclesiam habiles declarati sint, posse nihilominus si ad aliam ecclesiam denuo presententur, quamuis ea æqualis aut minoris curæ sit, atque per accuratorem inquisitionem inhabiles reperiantur, reprobari. Sed neque prohibetur Episcopus, præsertim ex causa, Parochum examinatum & approbatum, denuo examini subijcere: Quandoquidem qui idoneus fuit, per socordiam, aliamque causam, inutilis fieri potest.

3 NOTANDVM III. Si pœna priuationis contra aliquem propter eius contumaciam lata sit, & non expressum, ut esset perpetua depositio ac remotio, cenferi debet dependens à cõrumacia, ita ut eâ cessante, pœna remitti, aut tolli debeat. Ita sumitur ex hoc c. vers. Quia tamen; ubi duplex ratio adijcitur: *Cum tam iuris canonici, quam nostri moris sit, ut is, qui propter contumaciam communionis priuatur, cum satisfactionem congruam exhibuerit, restitutionem obtineat.* Ex quo colligunt hic Canonistæ, nominatim Abb. n. 5. quod particulare statutum recipit interpretationem à iure communi, propter fauorem eius; Item à stylo seu consuetudine Curie principali: quia etiam stylus Curie ius facit, c. quàm graui 6. de crim. falsi. Discrimen verò est, quod si statutum fori seu iurisdictionis ecclesiasticæ sit, interpretari debeat secundum ius commune canonicum, & stylum Curie Romanæ, uti hic apparet: Sin autem fori seu iurisdictionis secularis, interpretandum est secundum ius commune, & stylum Curie regni, sicuti cit. loco admonet Abb. Addendum tamen est, magnam quoque in interpretatione statutorum habendam esse rationem consuetudinis cuiusque loci: quia

communitas statuendo non censetur facile recedere velle ab antiquo tempore obseruatis & non reprobatis consuetudinibus, nisi id significet, argum. c. cum consuetudinis 9. de consuetud. l. 2. Cod. Quæ sit longa consuetudo.

Interdum verò contumacia transit in 5 specificum delictum, v. g. non residentis in ecclesia, post repetitam vocationem, & admonitionem, tunc priuatio in perpetuum per modum absolutæ pœnæ inferri solet, uti constat ex c. ex parte, & pluribus seqq. de cler. non resid. Potest tamen etiam talis pœna, si reseruata non sit, per ordinariam dispensationem seu remissionem tolli, ut hic annotauit Felin. n. 18. & docui lib. 1. moral. Theol. tract. 5. p. 3. cap. 4. prope finem. Sin verò pœna ob aliud crimen absolutè 6 lata sit, v. g. exilij, & nihil adiectum, videtur esse perpetua, saltem donec reuocetur, seu condemnatus restituatur, teste Gl. hic ver. in perpetuum, Abb. n. 10. Imola n. 7. Quod tamen limitari debet cum eod. Abb. cit. n. 10. Henr. Boich in fine huius c. Si magistratus extra iudicium, vel non præmissa causæ cognitione, interlocutoriè alicui prohibet, v. g. suæ artis exercitium, aut bonorum administrationem eiusmodi preceptum non extendi vltra tempus, quo Magistratus iurisdictionem retinet, uti constat ex l. vlt. ff. de pœnis, iun. Gl. ver. administrationis.

NOTANDVM IV. Si in aliquo Collegio 7 sint tum clerici, tum laici, æquali seu numero seu potestate, uti accidit in Collegio Magistrorum siue Professorum, cenferi illud debet ecclesiasticum: quia pars dignior trahit ad se partem minus dignam, siue, ut alijs verbis dicam, partis potioris maior ratio haberi debet. Ita sumi potest ex isto c. & docet hic Imola n. 4. Abb. n. 4. post Bartolum in l. vlt. C. de Collegiis illicitis, quæ admonet n. 13. In Vniuersitatibus studiorum creandum esse Rectorem clericum: quia si laicus esset, nullam exercere iurisdictionem posset in studiosos clericos, sed ij à potestate eius exempti forent.

NOTANDVM V. Iuramentum appositum 9 actui,

actui, intelligi debet secundum naturam eius: Quod alijs verbis dici solet, Iuramentum sortiri naturam & conditiones actus, cui adijcitur, c. quemadmodum 25. de iure iur. & colligitur ex hoc c. quando Pontifex respondet, fidenter praestitum seu Iuramentum non ob stare, quò minus statutum de contumacis exclusionem intelligatur, sicuti suapte natura & secundum conditiones iuris intelligi debet, donec à contumacia recessum sit. De hac re dixi etiam supra in cap. cum M. except. 3. hoc tit. Videri etiam possunt, quæ ex eod. fundamento docui lib. 4. Theol. moral. tract. 3. cap. 9. coroll. 2. Quod iuramentum praestitum circa materiam iuris, interpretandum est secundum terminos iuris, neque ultra extendendum.

CAPITVLVM XIII.

Ex parte.

PARAPHRASIS.

Canonici Ecclesiae Eduensis statutum ex antiquo tempore praebendarum numerum diminuerunt, licet redditus diminuti non essent. Episcopus Eduensis id Honorio III. proposuit, qui reintellecta Cabilonensi Episcopo & Cantori mandauit, ut auctoritate Sedis Apostolicae antiquum praebendarum numerum restituant, ideoque quas vacare intellexerint, adhibito consilio Episcopi Eduensis, personis idoneis conferant: non obstante, quod confirmatio aliqua à Sede Apostolica de praebendis minuendis impetrata fuerit.

SUMMARIVM.

1. Numerus praebendarum antiquitus definitus ob solum redituum notabile decretum minui potest.
2. Non valet Clericorum statutum & pactum, quod cedit in cultus diuini diminutionem.
3. Etiam si à Papa confirmationem accepit.
4. Beneficia Ecclesiastica personis idoneis conferri debent.

5. Mandatum de expediendo negotio cum consilio alterius non irritat actum expeditum sine consilio persona, si illud adhiberi non potuit.

6. Secus est, si consilium persona adhiberi potuit.

7. Et hoc non tantum intelligendum de mandato & commissione ab homine, sed etiam de commissione concessa à lege, qua intrinsecè modificata irritat actum conditione aut modo non obseruato.

8. Nisi solemnitas aut conditio leuis sit, aut ad negotii naturam intrinsecè non pertinens, aut Iudici, cui vniuersitas causarum absolute commissa fuerat, nouum praeceptum detur de consilio alterius adhibendo.

NOTANDVM I. Numerus praebendarum iuxta antiquam constitutionem, aut consuetudinem definitus, diminui non potest, praeterquam si redditus notabiliter decreuerint. Ita hic, & in c. cum M. supra hoc tit. Et breuiter hic tradit Abbas num. 2. Per argumentum à sensu contrarium notandum esse cum Gl. ver. imminuti, quod data diminutione redituum, possunt Canonici, etiam sine auctoritate Papa, restringere numerum praebendarum, ita ut praebenda suppressa non censentur amplius vacare: Et intelligo, quod hoc faciant cum auctoritate Episcopi. Idem hic docuit Imola n. 2. & dixi fusius in cit. cap. cum M.

NOTANDVM II. Non valet clericorum statutum (sicuti neque pactum) quod in cultus diuini diminutionem cedit. Nam statutum debet esse rationale, ecclesiae utile, non damnosum: Nihil autem magis ecclesiae damnosum, & irrationabile censeri debet, quam si cultus diuinus, ad obsequium Dei honor & animarum spiritualis profectus minuatur. Imò personae ecclesiasticae ex vocatione sua, & officij obligatione, tam in publicis, quam priuatis actionibus, eò maxime, tanquam ad principalem scopum suum, spectare debent, ut cultus diuinus, & quae inde sequi solet animarum salus, augeatur. Consentit c. cum inter 5. c. cum venerabilis 7. de consuet.

De

De pacto, quamuis iurato, si in cultus diuini diminutionem cedat, irritum esse, constat ex c. si diligenti 12. de foro compet. quo habetur, quòd priuatorum ex pactis, etiam iuratis, iure publico derogari non possit.

3 NOTANDVM III. Eiusmodi statutum non valet, tamen si à Papa confirmationem acceperit. Ita hìc dicitur, & notauit Gl. ver. confirmatione, dans duas rationes. I. Quia confirmatio, si fiat in forma communi, non dat actui valorem, c. cum dilecta 4. de confir. vtili, vbi dici solet, quòd qui confirmat, nihil dat de nouo; quia quod non est, non confirmatur. II. Quia cõfirmatio ex ignorantia emanauit; cum à Capitularibus dissimulatum fuerit, præbendarum numerum antiquo statuto definitum, eorùmque reditus diminutos non esse.

4 NOTANDVM IV. Beneficia ecclesiastica personis idoneis conferri debent. Ita hìc mandat Pontifex Honorius III. in fine c. Et addit Gl. ver. idoneis; Tamen si hæc conditio expressa non esset, tamen subintelligendum fore; cum iure communi insit, c. causam quæ 8. de elect. c. 2. de rescript.

5 QVÆRUNT hìc DD. circa verbum cum consilio Episcopi; Si alicui mandetur, vt negotium expediat adhibito consilio alterius, sicuti hìc Papa mandauit, vt præbendæ vacantes personis idoneis cum consilio Episcopi conferrentur; Commissarius autem, seu mandatarius consilium personæ non adhibeat, num firmum sit, quod ita actum est: Respondeo, ex doctrina Imolæ hìc, Abbatis, & Felini, post Bartol. in l. i. §. si plures, ff. de exercitat. actione, & Dico I. Si consilium personæ adhiberi non potuit, quia mortua est, aut absens, & rogata accedere non vult, negotium autem dilationem non patitur, in hoc casu valet actus, expeditus etiam sine consilio personæ. Nam mandatum superioris intelligi ita debet, vt sit conforme iuri communi, vti colligitur ex c. præced. Atqui secundum ius commune canonicum, si consilium alicuius adhibendum sit, idque adhiberi non possit, sine eo procedere licet, c. cum in veteri 52. de elect. c. vn. §. vlt. Ne sede vacante &c. in 6. Ergo idem sentien-

dum de mandato, seu præcepto hominis, siue superioris.

Dico II. Si in tali casu consilium personæ adhiberi potuit, non valet actus, qui absque consilio gestus fuit, iuxta cit. c. cum in veteri, iun. Gl. ver. expectatum, vbi bene addit, non satis esse petere consilium, sed etiam expectandum esse responsum: quia verba mandati ita intelligi debent, vt frustraneum non sit. Probatur assertio ex eo, quia non obseruatà formà mandati (si ea ad rem propinquè pertineas, veluti substantialis censerì possit) non valet mandatum, l. diligenter 5. ff. mandati. Atqui consilij auditio multum refert ad negotij expeditionem, cum sæpe aliter & quidem rectius ageretur, si viri sapientis consilium audiretur; Ergo expressa in commissione conditio, vt negotium expediatur cum consilio alterius, censerì debet intrinseca, & substantialis.

7 Adde, quod dictum est de commissione ab homine facta, idem quoque sentiendum de commissione, v. g. iurisdictione aut simili potestate, concessa à lege; si videl. commissio intrinsecè modificata sit, irritum fore actum, si conditio aut modus non obseruetur: v. g. si iudici per statutum municipale forma præscribatur iudicandi, adhibitis quatuor consiliarijs,

8 Sed aliter dicendum est, si solemnitas, aut conditio, seu à lege, seu ab homine, præscripta, leuis sit, aut ad negotij naturam intrinsecè non pertinens, sicuti annotauit Bartol. in cit. §. si plures n. 13. Felin. hìc n. 8. Exempli causa, si præcipiatur, vt negotium intra dies xx. expediatur, valebit, etsi postea expeditum sit, nisi expressè adiectum fuerit, vt alioquin non valeat. Aliter quoque dicendum, si iudici v. g. cui antea vniuersitas causarum, iure ordinario aut delegato, absolute commissà fuerat, nouum præceptum detur siue ab homine, siue à lege, vt in tali casu seu tali causarum genere adhibeat consilium viri sapientis. Non ideo enim iudicis processus aut sententia irrita iudicabitur, quòd cõsilium non adhibuerit: cum non debeat esse præsumptio, quòd concessa alicui potestas per superueniens præceptum

au-

auferatur, aut minuat, nisi id expressum sit. Et alioquin in dubio actum quemlibet ita interpretari conuenit, ut valeat potius, quam ut pereat, c. Abbate 25. de verb. signif. Quamobrem in eiusmodi casu, præceptum de forma aut conditione seruanda in expeditione alicuius negotij, est quidem obligatorium, sed non irritans actum, si modus obseruatus non sit.

CAPITVLVM VLT.

Quoniam.

PARAPHRASIS.

Gregorius IX. Constitutionem edidit, vt Clerici, qui in sacro ordine sunt, maiores redditus percipiant, & vt Clerici inferiores superioribus subditi sint, atq; obsequia præstent. Sed dubitatum fuit, vtrum hæc constitutio correctoria consuetudinis seu obseruationis inter Clericos recepta, extendere etiam ad Clericos antea promotos. An verò tantum locum habeat in Clericis post eam constitutionem promouendis. Respondit Gregorius, non extendi ad Clericos antea promotos & institutos, quia leges seu constitutiones futuris negotijs formam præscribunt, non autem ad præterita trahi debent, nisi expressè de præteritis cautum fuerit. Ita etiam habetur in l. leges 7. C. de legib.

SUMMARIVM.

1. Romanus Pontifex ecclesiasticis decretis omnes Christianos obligat.
2. Lex debet esse clara, & non ambigua.
3. Legem dubiam interpretari cum auctoritate, ad Principem spectat.
4. Constitutio, in qua exprimitur, quod ad præterita negotia extendi debeat, præterita quoq; negotia comprehendit, nisi etiam devisa sint transactio, sententia, solutio, vel iuramento.
5. In qua exprimitur, quod ad futura tantum referri debeat, ad præterita extendi non potest.
6. Constitutio, que absolute fertur, nullam factam mentionem præteritorum aut futurorum, si est merè interpretatina seu de-

claratiua, ad præterita extenditur.

7. Si est irritans, ita vt actum nulli declaret, comprehendit actus etiã præteritos.
8. Idemq; est, si irritans est, vt actum rescindat. Si autem lex decernendo impediatur, ne actus validus sit, v. g. nouam formam præscribendo contractus, ad præteritos actus vel contractus extendi non deet.
9. Testamento condendo si per legem aut statutum noua forma præscribatur, an extendi debeat ad testamenta antè condita, ex verbis Constitutionis colligendi est.
10. Si lex sit, proprie dispositiua, nihilq; in eâ expressum, an ad præterita extendi debeat, & de ipso facto, aut modo & forma faciendi disponat, non extenditur ad præterita: secus est, si de executione aut processu vltioris negotij coepti, modo eadè omnino, vel maior ita statuendi ratio reperitur in præterito, quæ in futura.
11. Intelligenda est l. 21. ff. de legib. cum lex in præteritum aliquid indulget, in futurum verat: de venia delicti non extendenda ad delinquentes in futurum, ne præbeat peccandi occasio.

NOTANDVM I. Romanus Pontifex per ecclesiastica decreta Christianos omnes obligare potest, cum ipse à Christo Domino, cum Apostolica auctoritate, constitutus sit Pastor omnium fidelium. Ita hic in princ. Quoniam constitutio Apostolica Sedis omnes adstringit, & in c. cuncta per mundum 17. & 18. caula 9. q. 3. Quare qui se subtrahit ab obedientia Pape, consequenter se subtrahit ab ouili Christi: quæ est species quædam apostasie in Christianis, siue iis qui per Baptismum in Christi ouile suscepti sunt, vti videre licet apud S. Thom. 2. 2. q. 12. a. 1.

NOTANDVM II. Legem oportet esse clarã, & nõ ambigua, siue, vt hic dicitur, nihil debet obscurum, vel ambiguum continere. Quamobrem notat Abb. hic n. 2. quod transgressio legis dubiæ, aut obscuræ excusat, ppter probabilem eius ignorantiam: Idq; maxime locum habet, si obseruatio, aut DD. persuasio assisat operati contra verum sensum legis, prout annotauit Gl. in c. vn. ver. de cætero, de postul. Prælat. in 6.

NOTANDVM III. Legem dubiam cum auctori-

G

ctori-

etoritate interpretari, ita vt interpretatio necessaria & generalis sit, ad Prines; em spectat, l. leges 9. & seqq. C. de legibus, & c. inter alia, 31. de sent. excomm. *Ve vnde ius prodit, interpretatio quoque procedat.* Dixi de hac re lib. 1. Theol. moral. tract. 4. c. 18. n. 1.

NOTANDUM IV. Constitutio, siue lex futuris negotiis formam, modumque præscribit; ad præterita autem se non extendit; nisi nominatim de præterito tempore, & adhuc pendentibus negotiis cautum sit. Hoc est principale huius c. intentum, & sumptum est ex l. leges 7. C. de legibus. Pro maiore intellectu, distinguendum cum Anton. de Butrio hic n. 15. Abb. n. 9. & seqq. post Bartol. in l. omnes populi q. 5. n. 39. ff. de iust. & iure; Vel in constitutione exprimitur, quod ad præterita negotia extendi debeat; vel exprimitur, quod ad futura duntaxat referri debeat; vel absolute fertur, nulla facta mentione præteritorum, aut futurorum. In primo casu, constitutio præterita quoque negotia comprehendit: Sed excipi debet, nisi ea iam decisa sint transactione, sententia, solutione, vel iuramento, sicuti docet Bartol. cit. loco n. 40. & constat ex l. causas 16. C. de transact. (vbi bene rem explicat Iason nu. 3.) l. contractus 16. C. de fide instrumentor. l. vn. C. de contractibus Iudicum, in fine. Ratio est, quia nunquam præsumendum est, quod Princeps seu Magistratus ius alteri quæsitum auferre velit, iuxta c. 3. iun. Gl. ver. intentionis, de decimis; imò neque potest id statuere, aut decernere, nisi ex graui causa, iuxta ea quæ supra docui in c. Quæ in ecclesiaram 7. hoc titulo.

Ampliari debet exceptio primò; Et si causa siue lis iudiciaria non omnino absoluta sit, sed pendens per appellationem, quod terminari ac finiri debeat secundum leges vigentes tempore late sententiæ in prima instantia; & non secundum leges postea emanantes, licet in ijs expressum sit, vt ad præterita etiam extenderetur, iuxta Auth. Vt cum de appellatione cognoscitur, &c. Cuius rei ratio dari debet, quia Iudex appellationis veluti succedit in locum iudicis à quo, seu pri-

mæ instantiæ, neque decet, vt quod ille rectè iudicauerat, improbet, aut retractet.

Ampliari debet secundò; Tamen si causa seu lis iudiciaria necdum decisa sit; sed tantum cœpta & adhuc pendens coram Iudice, terminanda non est secundum nouiter emanantem constitutionem aut iurisdictionem Principis, sed secundum leges & consuetudines antiquas, iuxta Auth. In medio litis sacras iurisdictiones non fieri, collat. 8. §. Si verò dum causa: Ratio dari debet; quia partes in Iudicem consentire censentur secundum iura & leges, quæ tunc vigent; cum de futuris seu postea statuendis scire plerumq; nō possint. Exemplum dari solet: Si in aliquo regno noua datur constitutio; vt extantibus liberis masculis, fæminæ excludantur à communi successionem parentum nobilium; atque expressè adiectum sit, quod constitutio etiam ad hæreditates deuolutas extendi debeat; non tamen locum habet in casu, si hæreditas inter fratres & sorores diuisa tunc erat, cum lex edita est; aut si de faciendi diuisione lis pendebat coram Iudice, seu in firma instantia, seu per appellationem.

Limitari tamen hoc debet; Præterquam si statuto, aut iurisdictione Principis expressum sit, vt noua constitutio etiam ad causas litis pendentes extendatur. Quæ ipsa tamen extensio facienda non erit, ad causas seu lites per transactionem, aut iudicalem sententiam definitas; quod id valde incommodum & absurdum videatur, quæ penitus composita, transacta, aut finita sunt, immutare atque rescindere velle, vt colligitur ex supra cit. l. vn. & l. sancimus 19. Cod. de sacrosanct. ecclesiis, ibi; *Que oportet non solum in casibus, quos futurum tempus creauerit, sed etiam in adhuc pendentibus, & iudiciali termino, vel amicabile compositione non sopitis, obrinere.* Et quod hic dicitur de causa finita per transactionem & Iudicis sententiam; idem quoque locum habet, si finita sit per iuramentum, aut factam solutionem v. g. hæreditatis acquisitionem, ita vt ius plenè acquisitum sit. Videri potest Felin. hic n. 2. post Bartol. in l. 1. §. vlt. ff. ad Tertull.

5 In altero casu, si videlicet in constitutione expressum sit, vt ad futura tantum referri debeat, certum tunc est, ad præterita extendi non posse. Hoc enim proprium est constitutionum, saltem earum, quibus aliquid fieri præcipitur, aut vetatur, vt de futuris disponant, non de præteritis. Nam eiusmodi lex est præceptum subditis impositum, & regula operationis; quod autem præteritum est, de eo præceptum dari non potest, neque regula aut forma operandi præscribi; cum factum non possit fieri infectum. Ita rem explicat Franc. Suarez lib. 3. de legib. c. 18. n. 8.

In tertio porro casu distinguendum, num lex sit interpretans tantum, num irritans seu 6 infirmans actum, an propriè dispositiua. De lege interpretatiua, seu declaratiua dicendum, eam, si absolutè lata sit, etiam ad præterita esse extendendam. Quæ est communis doctrina, vt videre etiam licet apud Bartol. in cit. l. omnes populi, Felin. h. c. 4. Nauarr. in c. si quando except. 21. n. 3. & seqq. de rescr. Suarez cit. lib. 3. c. 14. n. 2. Ratio dari debet: Nam qui ius declarat, non de nouo condit, sed quod antè positum est, denuntiat, arg. l. hæredes palàm 21. §. si quid ff. de testament. vbi generatim dicitur, quòd *qui declarat, nihil tunc dat, sed datum significat*: quamobrem dicere solent DD. quòd *magis obligat lex antiqua interpretata, quam noua interpretans*.

Quænam verò eæ leges sint, non aliquid noui statuentes, sed quid iuris antea fuerit, explicantes, atque ideo etiam ad facta præterita trahendæ, id partim ex verbis legis colligi potest, prout exempli causa ostendit Suarez tom. 4. de relig. lib. 3. de admiff. scholarium & c. 4. n. 3. in Bulla Gregor. XIII. Papæ, cuius initium: *Quantò fructuosius, Diētam Societatem Iesv firmo nostra declarationis subsidio cõmunire volentes, statuimus & c. quoscũque, qui in ipsa Societate admissi, biennio probationis peracto, tria prædicta vota, tametsi simplicia, emisserint, emittentq; in futurum, verè & propriè religiosos esse, & fuisse*: Partim verò colligi potest ex materia, & ratione legis: Inde enim frequenter intelligi poterit, tametsi Lex, consideratà verborum formà,

videatur esse dispositiua & præceptiua in futurum (quia dicitur in ea, *statuimus, ordinamus, precipimus, vt impostum ita fiat*;) tamen reuera declaratiua esse iuris ætè antiqui, quod impostum, si fortè neglectum sit, in obseruationem deduci imperatur. Talia reperientur plurima in decretis summorum Pontificum, quæ & in vitis eorum referuntur: vt de S. Alexandro I. Martyre, quòd *constituit, vt tantum panis & vinum in mysterio offerretur; vinum autem aqua misceri iussit*: Idemq; decreuit, *vt aqua benedicta sale admixto, perpetuò in ecclesiis asservaretur, & in cubiculis adhiberetur ad fugandos Demones*. Exemplum aliud habemus in c. vlt. de sponsa duorum, vbi definitur, si post matrimonium ratum, & nondum consummatum, aliud cum altera sit contractum, & consummatum, posterius esse irritum: Id verò etiam ad matrimonia, quæ ante illud Innoc. III. Papæ decretum contracta erant, referendum esse, intelligi potest tum ex materia decreti seu responsi Pontificij, tum ex ratione decernendi, quæ ibi affertur Ecclesiæ traditio, & Rom. Sedis obseruatio: tametsi verba in futurum duntaxat præcipere videantur: *In matrimonio de cetero contrahendis illud te volumus obseruare*.

Locutus autem sum de lege, quæ duntaxat declaratiua est, quòd ad præterita etiam extendi debeat: Veruntamen interdum lex non merè interpretatiua est veteris constitutionis, sed insuper pœnam transgressori adiicit, quæ antea decreta non erat, aut saltem non obseruata. Cuius rei exemplum affert Eman. Rodriq. tom. 1. regul. qq. q. 6. art. vlt. Clemētem VIII. Pontificem in Constit. de largitione munerum, nihil noui præcepisse, sed id quod ex anterioribus canonibus, Regularibus obseruandum erat, declarasse: nouam verò pœnam adiunxisse, qua non obligabantur ij, qui ante eam Constitut. editam, in eo genere deliquerant.

Interdum verò pœnæ iam antè decretæ, vltra verborum proprietatem, & ipsius iuris terminos, per nouam legem ex mera legislatoris voluntate fit declaratio extensiuæ, quam ad actus præteritos referre non oportet, nisi expref-

expressum sit. Exemplum est in c. quantæ 47. de sent. excomm. vbi censura excommunicationis contra clericorum percussores lata, declarando extenditur etiam ad eos, qui delinquenti, seu percutienti consilium vel fauorem præstant, vel cum possint & ex officio debeant impedire, intermittunt; tamen si alioquin excommunicationes latæ contra facientes, extendendæ non sint ad causas coadiuuantes, vti ex communiore docuit lib. 1. Theol. moral. tract. 5. p. 2. cap. 5. n. 6. & videri potest Suar. lib. 3. de legib. cap. 14. n. 4. & de censur. disp. 12. sect. 4. n. 11.

Venio nunc ad legem irritantem, quæ varia est, iuxta variam acceptionem verbi irritare, siue infirmare. Nam interdum in iure accipitur, vt idem sit, quod actum irritum declarare; & tunc lex irritans comprehendit etiam actus præteritos, si videlicet etiam anterioribus legibus, præsertim secundum ius naturale vetiti erant, eadèmq; ratio irritationis in præteritis, quæ in futuris inest. Exemplum habes in l. vlt. C. de pactis, vbi irritum esse declaratur pactum de hereditate viuentis, si absque eius consensu fiat. Et in l. penult. C. de incestis nuptiis, vbi statuitur, irritum esse iudicandum matrimonium, si contractum sit cum vxore fratris demortui, tamen si ea virgo, seu non cognita sit. Et esse hanc legem declaratoriam, colligitur ex l. vlt. C. eod. Aliud exemplum est in c. vlt. ex 40. causa 27. q. 1. vbi decernitur, vt quisquis post professam continentiam, vxorem duxerit, ab ea separetur, *quia matrimonium non esse censemus*, ait Im. II. Papa, isq; loquendi modus satis significat, etiã ante id in Ecclesia receptum fuisse.

Interdum verò irritare idem est quod irritum facere; Id verò duobus etiam modis fieri potest, Vel si lex actum, qui validus erat, rescindendo irritum reddat. Vt proinde in hoc sensu irritare aliud non sit, quàm rescindere, quod sicuti per sententiam fieri potest, vt videl. electio, vel beneficij collatio aut renúciatio, si contra canonem facta sit, tamen si mero iure valeat, tamen in pœnam à Iudice rescindatur, ita nihil prohibet, eiusmodi irritatione seu rescissionem præteritarum v. g. electionum, fieri per legem generalem, sicuti bene

annotauit Suarez cit. cap. 14. n. 11. Vel si lex decernendo impediatur, ne actus validus sit, v. g. nouam formam præscribendo, secundum quam contractus aliquis condi debeat; alioquin irritus sit. Eiusmodi legem ad præteritos actus v. g. contractus, extendi non decet, argum. huius c. vbi id annotat Anton. de Butrio n. 15. & Legistæ in suprâ cit. l. leges, C. de Legibus, nominatim Bald. n. 2. Gaill. lib. 2. obs. 9. n. 2. vbi aiunt, quòd contractus quilibet æstimari debet secundum leges & cõsuetudines eo tempore vigentes, quo contractus est: Tum quia de futuris & superuenientibus contrahentes cogitare non potuerunt; tum quia ipsis per contractum ius ex mutuo consensu acquisitum est, quo priuari non debent.

Controuersia autem est inter Doctores, si per legem aut statutum noua forma testamenti condendi præscribatur, num extendi etiam debeat ad testamenta antea condita, viuente adhuc testatore, qui testamentum immutare, & secundum aliam de nouo præscriptam formam edere possit? Paulus Caltrensis in l. Tabemus n. 7. C. de testam. negat testamenta antea condita ea lege comprehendendi, ideòq; valida censenda esse. Quod etiã docuit Nauarr. in c. si quãdo, except. 2. l. n. 13. de rescript. Sed contrarium tradidit Iason in ead. l. n. 8. Felin. hic n. 1. col. 3. post Angel. in Auth. Vt facta nouæ Constit. §. 1. Arbitror autem quàm maximè attendendū ad verba constitutionis, num ea etiam ad testamenta facta referri possint; Item, nū ad ipsos testatores referantur, vt talem formam obseruare teneatur, si validè testari velint; an verò ad Iudices, vt testameta valida non agnoscant, nisi eã cum formã condita sint. Nam hoc posteriore casu etiã ad præterito tempore scripta, aut nuncupata testamenta referri videtur, quãdo quidem ea vim suam ante mortem testatoris assecuta non sunt, teste Apostolo ad Hebr. c. 9. v. 16. *Vbi testamentum est, mors intercedat testatoris necesse est. Testamentum enim in mortuis confirmatur est: alioquin nõdum valet, dum viuunt testator.*

Reliquum est, vt dicamus de lege disponente, ac propriè præcipiente aut vetante; si nihil expressum sit, vtrum ad præterita extendi debeat. Distinguunt communiter DD. vti videre

videre licet apud Nauarr. in cit. except. 21, fermè tota: Vel lex disponit de ipso facto, aut modo seu forma faciendi, & non extenditur ad præterita, seu quæ iam facta sunt, vt constat ex hoc c. Aut disponit de executione, aut processu vltiore negotij cœpti, tunc extenditur ad præterita. Exemplū habes in Clement. vn. iun. Gl. ver. deputati, de test. vbi statutum est, vt Religiosi, etiā exempti, si ad executionem vltimarū voluntatum deputati sint, Ordinarijs locorū executionis suæ rationem reddere teneantur. Hæc constitutio eos etiam Religiosos comprehendit, qui eo tempore deputati erant: sin autem executi tunc fuerant, nō comprehendantur: quia lex nō trahitur ad facta præterita, nisi id exprimat. Aliud exemplum habes in c. 2. de concess. præb. in 6. vbi reprobatur omnis promissio, per quam datur via ad beneficium vacaturum; ita vt ea effectum seu executionem nullam habere possit. Qua constitutione plerique putant cōprehensas etiam fuisse promissiones tum factas, sed nondum effectum consecutas; quamuis Gl. ibi contrarium docuerit, propter adiectam voculam *de cætero*. Quā de re ibi dicendum erit.

Aliud exemplum est: Si lex decernat, vt debitores, à creditore moniti ad solvendum, si dies xx. moram culpabilem trahant, in carcerem conijciantur, extenditur non tantum ad futura debita, sed etiam ad ea quæ iam contracta sunt; ita vt si mora culpabilis post editam constitutionem commissa sit, poenæ legis locus esse debeat. Etenim si rectè attendimus, nihilominus vera manet regula, quod lex non disponere censetur de facto, & negotio futuro: siquidē neq; ista lex disponit de cōtracto debito, quo modo fieri aut non fieri debeat; sed versatur circa debitum, tanquam materiam remotam, ac præsuppositam; propriè autem tantum disponit de executione futura. Quā de re videri potest Nau. in dicta except. 21. in confut. cōtrariorum, resp. ad 4. & 5. Suarez supra cit. cap. 14. nu. 12. vbi bene docet, quod lex impedire, aut vetare possit, ne actus tum cœptus consummetur; v. g. ne Nouitius professionem in

Religione edat. Trident. Concil. sess. 25. cap. 15. de regul. *Nec qui minore tempore, quam per annum, post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur.* Constitutio ista extendebatur ad eos etiam Nouitios, qui habitum tum susceperant, & in probatione versati sunt.

Requiritur tamen ad hoc, vt lex eiusmodi ad præterita quoque, nondum executionem consecuta, extendatur, eandem omnino, aut maiorem ita statuendi rationem reperiri in præterito, quæ in futuro, prout annotauit Vdalr. Zasius l. 1. §. Hæc autem, ff. Quod quisque iuris &c. exemplum dans: Statutum aliquod decernit; si quis duobus annis in ecclesia laborauerit; aut in Vniuersitate docuerit, fruatur hoc priuilegio: Nō minus eo comprehendentur, qui tempore editi statuti laborarunt, aut docuerunt, quam qui postea laboraturi sunt; nisi expressum sit, si quis de cætero per biennium laborarit, aut docuerit &c.

Ad extremum, operæ pretium est hęc explicare, quomodo intelligenda sit l. 2. ff. de legibus; *Cum lex in præteritum aliquid indulget, in futurum notat.* Accipiendum enim est de indulgentia seu venia delicti, quæ à Principe fit criminosis; non esse eam extendendam ad eos, qui futuro tempore delinquent, ne alioquin lex ansam & incitamentum peccandi præbeat. Exemplum huius rei reperitur in l. 2. C. de generali abolitione; atq; ita tradunt & explicat Bart. & Bald. super cit. l. cum lex, Mart. Nau. in tr. de spolijs clericorum §. 19. n. 5. vbi aiunt; Si statutum editum sit, vt omnes banniti, è banno liberentur, solutis decem v. g. aureis, eo comprehendendi non debeant, qui futuro tempore banno puniendi erunt; ne præbeat peccandi occasio.

Atque idem obseruari debet in voluntarijs partium compositionibus, seu transactionibus; quod decerni possit, vt iniuria, aut dolus remissus, & condonatus sit, non autem, quod imposterum impunè licet nocere, leg. si vnus 29. §. Illud nulla actione, ff. de pactis, & l. conuenire 5. ff. de pactis dotalibus. Id verò ex supra cit. l. cum lex, singulariter annotandum; Si vel lege, edito.

dicto, aut partium compositione delictum, aut iniuste illatum damnum remissum; vel ne accusatio institueretur, constitutum fuerit; eo ipso prouisum videri, ne imposterum delinquere, aut iniuriam inferre impunè liceat; quia cum lex (idèmq̃ue est in transactione, aut promissione) in præteritum aliquid indulget, in futurum vetat. Videatur etiam, quæ dicturus sum in c. penult. de consuet.

CAPITVLVM I. eod. Tit.
in 6.

Licet Romana.

PARAPHRASIS.

Princeps (qualis in ecclesiasticis Rom. Pontifex est) condendo nouam legem, eo ipso tollere censetur leges priores, quibus illa contraria est; non item tollere censetur particularia statuta & consuetudines locorum, nisi id exprimat.

SVMMARIVM.

1. Lex Principis posterior abrogat priorem, quatenus ei contraria est, licet id non exprimat.
2. In Principe censetur esse notitia omnium iurium, siue legum communium.
3. Vnde error siue ignorantia iuris non excusat Principem, cum eius scientiã se habere profiteatur.
4. Nec satis est Principem Consiliariorũ scientiã ac prudentiã adiuari: sed necesse est, ut & ipse iuris, ac iustitia gnarus sit, curamq; reip. & subditis iustitiam administrandi principaliter gerat; non autem omnem, aut partem omnem in alios conticiat; alias ipsemet culpam eorum feret.
5. Etiam inferior Magistratus leges sui fori nosse censendus est, idèq; etiam velle statutum prius abrogare, si contrarium illi statuatur, modo potestate statuendi & abrogandi pradius sit.
6. Generalis consuetudo Principi & in-

feriori Magistratui equè cognita censeri debet, atque lex scripta; adeòque etiam per subsequens statutum ei contrarium eandem abrogare.

7. Ut autem lex posterior Pontificia contraria Concilio Generali censetur derogare ei, debet derogatio esse expressa.
8. Et si illud nouissimum est, ut est Tridentinum, specialis eius mentio facienda est.
9. In rescriptis doctrina tradita vel maximè locum habet.
10. Peccat Legislator, si legem reipubl. vtilem abroget; abrogatio verò valida est, & effectum suum consequitur.
11. Lex & consuetudo rationabilis particularium locorum & personarum non abrogatur, nisi exprimat saltem per clausulam generalem.
12. Adiuncta autem generali clausulã: Non obstante quocunque statuto, aut consuetudine in contrarium: censentur omnia sublata, ac si in specie essent expressa.
13. Iudex quilibet probabiliter ignorare potest iura consuetudinis locorum alienorum.
14. Doctore & alteri asserenti, aut testanti de particulari consuetudine, statuto, privilegio, non est statim credendum.
15. Lex communis per legem contrariam si abrogatur, simul etiam statuta municipalia secundum legem, aut ius illud commune conditum abrogata censentur.
16. Per legem generalem absque clausulã derogatoria latam, non tolluntur privilegia non contenta in Corpore iuris.

NOTANDVM I. Lex Principis posterior abrogat priorem, quatenus ei contraria est, etiam nulla facta mentione prioris legis. Idem habetur in l. sed & posteriores 27. ff. de legibus. Probari debet: Posterior voluntas, si & potestas adsit, superat priorem, ac tollit, si ei contraria sit; In legislatore autem adest potestas tollendi, seu abrogandi priorem legem, uti ponimus. Ad esse

esse autem voluntatem, inde conuincitur, quia Princeps scit omnes leges suas, seu Reipubl. suæ: Consequenter, si legem condat, quæ priori contraria est, adeoque cum ea consistere nequit, hoc ipso eam sublatam vult.

Aduerte autem, quod dixi, abrogari legem priorem per posteriorem, *quatenus ei contraria est*, siue cum ea consistere non potest. Cum enim lex omnis, præsertim quæ toti regno seu Reipubl. communis, cum ratione constituta esse debuerit pro communi utilitate, cap. 2. dist. 4. ideo magnus legis, siue iuris communis fauor est; Adeoque correctio, seu abrogatio, aut derogatio odiosa, & nisi necessitas cogat, non asserenda, sicuti docui lib. 1. moral. Theol. tr. 4. cap. 18. n. 2. & inter alios videri potest Decius in c. 1. lect. 1. n. 11. de Constit. Suar. lib. 6. de legibus cap. 27. n. 4.

2 NOTANDVM II. In Principe censetur esse notitia omnium iurium, siue legum communium. Ita hic significatur, quod *Romanus Pontifex iura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere*. Quod dictum hæreticorum Ministri ludibrij causa quandoque aduersus Romanum Papam obijciunt: sed frustra, & inscitè; cum id Bonifacius VIII. huius c. auctor, ex Imperatorijs serinijs mutuatus sit. Ita enim aiunt Impp. Honorius & Theodosius in l. omnium 19. C. de testam. *Toto iure, quod in nostris est scrinijs constitutum, teste*. Hinc colligitur, quod error siue ignorantia iuris Principem non excusat; cum eius scientiam se habere profiteatur.

4 Ait verò Gl. sum. hic, id fieri propter *Consiliarios & sapientes assistentes Principi, qui dicuntur pars corporis eius*. Rectè quidem dicitur, Principem Consiliariorum scientiæ ac prudentiæ adiunari: Interim verò necessarium, vt & ipse iuris ac iustitiæ gnarus sit, curamque Reipubl. & subditis iustitiam administrandi principaliter gerat; nō autem omnem, aut pænè omnem in alios conijciat: Eo quod Dominus Deus, qui omnia prouidentissimè agit, ipsiusmet Principis, tanquam ministri sui cor, proximè e-

rudis, ac dirigit, Prouerb. 8. *Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt*. Ideo Salomon Rex lib. 3. Regum c. 3. v. 6. petijt à Domino *cor docile, vt populum iudicare possit, & discernere inter bonum & malum*. Quandoquidem etiam inter ipsos Consiliarios reperiri possunt, qui vel scientiâ destituti sint, vel rectè agendi voluntate; proprijs aut priuatis, minùsue ponderantibus rationibus magis quàm bono publico, iustitiæ, ac veritati seruientes. Et tum vel maximè error contingere potest, si ex plurium consultorum suffragijs Princeps decernere solitus sit: cum fieri possit, vt sapientes ac intelligentes numero ab alijs superentur; ijsque se opponere efficaciter non audeant: Tunc verò ad Principem pertinebit, inter bonum & malum, rectum & non rectum discernere; alioquin ipsemet culpam feret. Si enim, quæ Consiliariorum, Officiariorumque seu pacis, seu belli industriâ laudabiliter acta sint, Principis honori ac laudi tribuuntur, cur non & quæ mala acta sunt, eidem adscribi debeant. Quare Salomon cap. 6. sapientiæ v. 2. & seqq. ita Reges ac Princeps hortatur: *Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniã data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniã cum essetis ministri regni illius, non rectè indicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrendè & citò apparebit vobis: quoniã iudicium durissimè his, qui præsumunt, fiet*.

Ampliari debet tradita doctrina primò; 5 Quod etiam inferior magistratus, seu legislator leges sui fori, seu iurisdictionis, nosse censendus sit, & ideo si quid ijs contrarium statuatur, abrogare prius statutum velit; Cum eadem proportionalis ratio sit, dummodo magistratus statuendi, & abrogandi potestate præditus existat. Secundò, quod dictum est de lege communi, idem quoque dicendum de generali cōsuetudine; cum & ipsa lex quædam, siue ius non scriptum sit; & ideo æquè Principi, seu Legislatori cognita cen-

sori

- 6 feri debeat, atque lex scripta; consequenter si generali seu communiter receptæ consuetudini contrarium quid statuatur, censetur eam reuocare, seu ei derogare velle, prout hîc annotauit Gl. ver. singularium, Baldus in l. 2. circa finem, C. Quæ sit longa consuet. Felin. in c. super literis n. 8. reg. 3. de rescript. quod Princeps præsumitur scire consuetudines multum vulgares, maxime loci, in quo ipse residet: Et ideo condendo legem consuetudini contrariam, videtur ei derogare velle, licet consuetudinis mentionem non faciat. Et hoc ipsum locum habere in inferioribus, v. g. si ciuitas statutum condat aduersantem consuetudini, quod eam reuocare censetur, docuit Petr. Rauennat. de consuet. n. 106. Abb. in c. vlt. n. vlt. de consuet. Dummodò, quod semper supponitur, ciuitas tali potestate prædita sit, prout annotauit Suarez lib. 8. de legibus cap. 20. n. 8.
- 7 Limitari autem debet tradita doctrina, quod lex posterior Pontificia contraria Concilio generali, non censetur ei derogare, nisi derogatio expressa sit, prout docet Rochus Curtius in c. vlt. de consuet. n. 546. & alij communiter, apud citatos in moral. Theol. lib. 1. tr. 4. cap. 2. Quare dici solet, post Archidiaconum super hoc c. quod Concilij generalis constitutio tacitam continet clausulam derogatoriam omnium subsequentiū dispositionum, quæ contrariæ sunt. At verò in alijs legibus communibus necesse est contineri expressam clausulam seu cautionem, vt per leges subsequentes censi non debeant reuocari, nisi earum mentio fiat in posterioribus, sicuti cum Ioan. Andr. hîc notauit Philipp. Francus n. 12. Addit verò Suarez lib. 3. de matrim. disp. 26. n. 7. cum Henricus lib. 7. de indulg. cap. 26. n. 3. si Concilium generale nouissimum sit, vt nunc est Tridentinum, specialem eius mentionem faciendam esse, neque sufficere generalem clausulam, *non obstante quacunque lege, etiam Concilij generalis.*
- 9 Porro tradita doctrina quam maxime locum habet in rescriptis, prout constat ex c. nonnulli 28. vbi dicitur Felin. n. 3. 5. & seqq. c. eam, tract. 4. de ætate & qualitate, c. ex parte,

de capellis Monachorum; propterea, quod in his, propter impetrantium importunitatem, errores facile contingant, sicuti Gl. indicat cit. c. ex parte, ver. nulla mentio. At verò leges maturiore cum examine, atque ex Principis certa scientia prodire solent, secundum Glossam super hoc c. verbo nescatur. Quamobrem, si ex coniecturis colligi possit, mentem Principis fuisse per posteriorem legem publicè latam ac promulgatam, derogare legi anteriori Concilij generalis, clausulâ derogatoriâ opus non erit. Idemque de testamento posteriore, reuocatoriâ testamenti prioris, in quo etiam expressâ clausula posita est, ne reuocatum censeatur, nisi clausulæ mentio fiat, reuocatum nihilominus censi, & posterius præualere, si appareat de voluntate testatoris, ex communi docuit Iulius Clarus lib. 3. sent. §. Testamentum, n. 8. §. Cæterum.

Sed neque in rescriptis contra qualescunque ius positium, cui à Principe derogari queat, dummodò constet, quod ex Curia prodierint, & ex certa scientia, aliud requirendum est, sicuti Francus hîc docet n. 10. & Imola in cit. cap. nonnulli, n. 6. Exemplum affert Francus; Si Papa scienter, licet ad petitionem & instantiam alicuius, rescribat, vt impuberi beneficium curatum conferatur, satis esse, quod ex tenore ac forma rescripti appareat de certa scientia Papæ, licet clausula *Non obstante* & c. adiecta non sit. Verumtamen si aliquid insolitum, aut contra publicam utilitatem rescriptum sit, nunciare oportet, vt secunda iussio fiat, Auth. Vt nulli Iudicum, §. Et hoc verò iubemus, coll. 9. & tradit Gl. in l. vlt. ver. generali C. Si contra ius & c. Deinde si in l. anteriore contineatur clausula derogatoria contrariorū rescriptorum, tunc non sufficit Papam ex certa scientia rescribere contra ius illud, nisi specialem mentionem faciat, sicuti Imola & Francus cit. locis docent, & videri potest Felin. in c. postulasti n. 2. & quæ ibi dicam, hoc tit.

10 *Quæri hîc potest primò; Vtrum legislator arbitrato suo legem anteriorem reuocare, seu abrogare possit? Responso est affirmatiua.*

firmatiua, saltem vt abrogatio valida sit. Nam sicuti legis constitutio, ita & eius conseruatio, abrogatioque pendet à libera voluntate legislatoris; siue is vnus & absolutus sit, siue dependens à proceribus, concilio, aut plebe. Quare dici solet, quòd eiusdem potestatis est ligare & soluere; legem condere & tollere: nam per quas causas aliquid nascitur, per easdem etiam dissoluitur, cap. 1. de reg. iuris. Peccat tamen legislator, si legem Reipublicæ vtillem abroget; abrogatio verò effectum consequitur. Et potest hoc loco discrimen annotari; tametsi lex, si sine ratione & vtilitate lata sit, vim nullam habeat; abrogatio tamen eius, etiam sine ratione & vtilitate, effectum consequitur. Nam sicuti in aliis plebisque rebus plus requiritur ad rei generationem, quam eiusdem corruptionem, seu abolitionem, ita & ad legis abrogationem sufficit voluntas auctoris exterius indicata, sed ad legis constitutionem multa requiruntur, vti docui lib. 1. Theol. moral. tract. 4. cap. 1. Dicunt verò Canonistæ, nominatim Innocent. in cap. quanto, ibid. Abbas num. 13. de consuetud. Nicolaus Euerardus loco argum. 129. num. 13. resistendum esse Papæ, si absque ratione statum vniuersalis Ecclesiæ noua lege immutare attentaret; vt si Quadragesimæ legem, aut de bigamis non ordinandis tollere vellet.

NOTANDVM III. Princeps lege lata non censetur derogare velle particularibus locorum & personarum statutis ac consuetudinibus; nisi exprimat, dummodo ea rationabilia sint. Ita habetur in textu, atque ratio adiungitur: Cum enim huiusmodi statuta & consuetudines facti sint, & in facto consistant, ea Princeps probabiliter ignorat; consequenter censeri non potest ea reuocare velle; nisi exprimat, saltem per clausulam generalem, non obstante quocunque particulari statuto aut consuetudine in contrarium. Vbi statim obiici potest, quòd etiam statuta & consuetudines locorum particularia, quædam iura sunt; & ideo non rectè facti dicantur, quasi in iure

non consistant. Respondeo, Pontificem non negare, ea in iure consistere; cum dicat eorum vim & obligationem; si rationabilia sint, permanere: Quod itaque ait, facti esse seu in facto consistere, pertinet tantum ad quæstionem An est; num videlicet & quænam talia statuta & consuetudines existant, cum ad factum pertineat, Pontificem probabiliter ignorare; & ideo censendum non esse, de iis vel cogitationem, vel abrogandi voluntatem suscepisse; nisi in lege à se lata exprimat, vti dixi.

Corollarium I. Si Princeps legi generaliter latæ clausulam: *Non obstante quocunque statuto, aut consuetudine in contrarium,* adiciat, censeri debent omnia sublata; perinde ac si in specie expressa essent. Ita docet ex communi Andr. Gaill lib. 2. obs. 18. nu. 2. Cum enim Princeps particularia statuta & consuetudines in specie scire non debeat, & plerumque non possit, ideo sufficit clausula derogationis generalis, ac veluti conditionalis; si quæ contraria sint, &c. His adde, quòd interdum lex non tantum tollat contraria ei statuta aut consuetudines, sed etiam damnet & improbet, tanquam irrationabilia, publico bono noxia, aut peccati nutritiua; tunc verò non tantum tollit, quæ in presenti tempore videntur, sed etiam impedit, ne in futurum constitui aut introduci possint, sicuti docent Legistæ in l. omnes populi, vbi Vdalricus Zasius concl. 5. ff. de iustit. & iure, Baldus in Auth. omnes peregrini n. 2. C. Communia de success. Gaill cit. loco. Exemplum afferri solet ex Authent. Navigia C. de furtis, vbi prohibetur, ne bona naufragantium eripiantur, *sublata penitus omnium locorum consuetudine.* Adde, si lex lata (præsertim canonica) aliquid prohibeat, tanquam per se siue ex proprio obiecto illicitum, eo ipso tolli statuta & consuetudines in contrarium; ita vt neque in futurum introduci queant, sicuti Gaill & alij annotarunt.

Dixi autem præsertim canonica lege: Nam si ciuilibis lex contractum v.g. tanquam vsurarium damnet; at verò Doctores alij, præsertim Theologi, quorum est hoc

H

exami-

examinare, probabiliter censentur usurarium non esse, sed iustum, fieri potest, ut contra eam legem statuta & consuetudines locorum retineantur: Præterquam quod eiusmodi leges prohibentes contractum ut illicitum vel usurarium, seu Imperiales seu Pontificiæ, interdum intelligi debeant secundum præsumptionem fori externi: ideoque ad Iudices præcipue tendant, ut secundum eam præsumptionem iudicent. Cuius rei exemplum de censu utrinque redimibili attuli in Theol. moral. lib. 3. tract. 4. de iust. cap. 18. nu. 6. ver. Alterum.

- 13 Corollarium II. Ex Petr. Rauenn. in tract. de consuet. n. 10. Iudex quilibet iura consuetudinis locorum alienorum probabiliter ignorare potest. Et ideo licet iura communia, & quæ loci particularia siue propria sunt, coram Iudice produci non debeant, nec de eis fieri positiones & probationes, aliud tamen sentiendum de consuetudinibus & statutis aliorum locorum.
- 14 Corollarium III. Doctore, vel alteri personæ simpliciter asserenti, aut testanti de particulari consuetudine, aut statuto loci, vel accepto privilegio, non est statim fides habenda. Ita docet Alexander Imoleus, in l. post dotem n. 29. ff. solut. matrim. Petr. Rauennates in tract. de consuet. nu. 178. Nauarr. in c. placuit d. 6. de pœnit. in fine. Quæ enim in factis consistunt, non simpliciter poni & asseri, sed demonstrari debent. arg. l. in bello 12. §. facte. ff. de capt. & postlim. reuersis. Testes autem, ut plenè rem demonstrent, iurati esse debent, ac voce deponere, ut examinari queant. Accedit, quod ad statutum legitime conditum, & in loco vigens: item ad privilegium, quod in obseruatione existat & c. multo magis ad consuetudinem, vim iuris obtinentem, multa requiruntur, de quibus omnibus testari oporteret, sicuti videre est apud Gaill lib. 2. obseru. 31. n. 16. Veruntamen illud quorundam dictum apud Nauarr. cit. loco, quod maiori Doctorem parti de consuetudine testatium credi non debeat, explicandum est, ita ut cedat in præiudicium alterius, seu iudicalem cõdemnationem. Attendendum quoque, num Doctores in commentariis suis te-

stentur de consuetudine loci, in quo versati fuerunt: tum enim maior eis fides tribuenda, quam si ex aliorum relatione acceperint, iuxta ea quæ hic annotauit Francus num. 14. quod præsentis & incolæ non censentur ignorare consuetudines locales, sed absentes & peregrini.

15 **QVÆRITVR** hîccum Gl. ver. facti. Si lex communis à Principe per legem contrariam abrogetur, utrùm simul etiam statuta municipalia, quæ secundum legem seu ius illud commune condita sunt, abrogata censeri debeant? Responso affirmatiua communiter recepta est, uti videre licet apud Felin. in c. 1. n. 15. de refer. Azor lib. 5. Instit. moral. cap. 26. q. 17. Si enim, uti ponimus, statutum municipale nihil prorsus aliud, aliæ ratione præcipiat, quam quod communi iure statutum est, tum substantialiter non differt à iure communi, sed est tantum eius quædam interpretatio, propositio, ac promulgatio ad populum; eò quod specialis cautio magis attenditur, ac terret, quam generalis. Vide tamen quæ dicam infra in c. 1. in fine, de rescript.

16 Id solum supra dictis addendum est, doctrinam huius not. 3. per legem generatim latam, absque clausulâ derogatoriâ, non tolli particularia statuta & consuetudines, locum etiam habere in privilegiis non contentis in corpore iuris: cum neque eorum omnium notitiam Princeps habere censeatur. Ita ex recepta sententia docet Suar. lib. 8. de legibus cap. 39. reg. 1. Eman. Rodriq. tom. 3. regul. qq. q. 46. art. 1. concl. 1. post Gl. in c. 1. ver. ut liberè, de rescript.

CAPITVLVM II.

Vt animarum.

SUMMARIVM.

1. A censura excusantur non tantum, qui statutum secundum se ignorant, sed etiam qui ignorant censuram esse annexam.
2. Pontifex hoc c. ex proposito loquitur non de censuris Pontificiis, sed inferiorum.

rum Ordinariorum, quamvis responsio
ibi tradita locum habeat etiam in Pon-
tificiis.

3. Subditus Episcopi non incurrit excom-
municationem latam per statutum E-
piscopi, si contra illud agat extra Diœ-
cesin; secus est, si illa feratur per praecep-
tum.
4. Ex regula iuris, quod Iudici, si extra
territorium, vel supra modum suae iuris-
dictionis ius dicere velit, impune non
paretur, colliguntur corollaria.
5. Locus plenissime exemptus intra diœce-
sin, aequi aratur loco extra diœcesin;
non autem ille, qui plenissime exemptus
non est: unde subditus Episcopi in hoc
delinquens obligatur illius statuto.
6. Potest Episcopus in Monasterio nõ ple-
nissime exempto citare & iudicare per-
sonas sibi subditas valide, non autem li-
cite, sine consensu Abbatis loci, qui ad
hoc, ut licite hoc fiant, requiritur.

Capitulum istud suas partes continet;
Prima his verbis Bonifacii VIII. constat;
*Ut animarum periculis obuietur, sententiis
per statuta quorumcumque Ordinariorum pro-
latis, ligari nolumus ignorantes; dummodo
eorum ignorantia crassa non sit, aut supina.*

Circa hunc textum dubitari solet, de qui-
bus sententiis Pontifex loquatur; Et num de
sententiis etiam per Pontificias leges, an so-
lum per episcopalia, seu similibus Ordina-
riorum statuta latis, sermo sit; Et num ali-
quid noui statuere decreuerit Bonifacius.
Respondeobreuitur ex mente Glossæ super
hoc c. Ad 1. Pontifex præcipuè, & ex insti-
tuto loqui videtur de censuris per statuta
promulgatis, si quis v. g. *furtum commiserit;*
aut, *si quod iniuste accepit, non restituerit, ex-
communicatus esto;* eiusmodi sententiã non
ligari ignorantes, nisi ignorantia crassa sit. Et
quia hoc est iuris beneficium seu potius be-
nigna interpretatio, latè accipi debet, quate-
nus materia obiecta permittit, ut sensus sit,
non tantum eos à censura excusari, qui sta-
tutum secundum se ignorant; sed etiam qui
ignorant annexam ei censuram. Quod sanè

peculiare est in censuris, atque in aliis pro-
priè dictis pœnis locum non habet, ut, tam-
etsi aliquis sciat opus secundum se prohibi-
tum esse, si tamè nesciat annexam censuram,
eam non incurrat: Quia ad censuram requi-
ritur contumacia & virtualis quidam con-
temptus; non autem contemnit qui ignorat,
iuxta l. Qui ignorans 5 o. ff. locati, prout et-
iam docui lib. 1. Theol. moral. tract. 5. p. 1. c.
5. n. 7. Excipitur verò ignorantia crassa; si
videlicet alicui in mentem veniat rationabi-
liter dubitare, num opus aliquod sub eccle-
siastica censura prohibitum sit; & nulla, vel
vix vlla inquisitione facta, illud facere aggre-
diatur: siquidem & iste contemnere cen-
suram, quando ita temerè se committit periculo
agendi contra ecclesiasticæ censuræ prohibi-
tionem. Hæc est doctrina Suar. de cens. disp.
4. sect. 9. n. 19. Molinæ, tract. 5. de iustit. disp.
71. num. 9. quamvis de hac re variæ sint DD.
sententiæ, uti videre licet apud Suar. in cit.
disp. 4. sect. 9. & 10. Syl. ver. excommunic.
vlt. quæst. 3.

Ad 2. Pontificem ex proposito non loqui
de censuris Pontificiis; sed inferiorum quo-
rumcumque Ordinariorum. Idenim colligi
videtur ex contextu, & verbo *statutis*, quo
ius commune seu canones yniuersales ple-
rumque comprehendi non solent. Ratio au-
tem, cur de his tantum statutis hîc sermo sit,
dari alia non potest, nisi quia super his dun-
taxat quæstio mota fuit; cum eiusmodi sta-
tuta in diœcesibus promulgata, citius in om-
nium diœcesanorum notitiam deueniant; &
ideo ignorantia minus probabilis esse videat-
ur, quam in Pontificiis de nouo editis Ro-
mæ decretis. Interim verò certum esse debet,
responsionem e. huius etiam in Pontificiis
constitutionibus, seu bullis, sub censuræ cõ-
minatione latis, locum habere, uti tradide-
runt DD. iam citati, & dixi etiam in cit. c. 5.
n. 7. Cæterum si quispiam contendere ve-
lit, verbum *statuti* hoc in loco latè accipi pos-
se, ut omnem legem ecclesiasticam compre-
hendat, item nomen *Ordinariorum*, ut etiam
Papam contineat, cum ipse sit Ordinarius
Ordinariorum, non multum ei repugnabo.

Ad 3. dicendum, nihil hîc de nouo Pon-
tificem

tificem statuisse: sed quod rei natura postulat, atque iuri communi canonico conueniens est, declarado exposuisse. Ita docui etiam in supra cit. num. 7. & tradidit Domin. Sotus in 4. d. 22. quaest. 1. art. 2.

Altera pars huius e. haec verba complectitur: *Statuto Episcopi, quo in omnes, qui furtum commiserunt, excommunicationis sententia promulgatur, subditi eius furtum extra ipsius dioecesis committentes, minime ligari noscuntur: cum extra territorium ius dicenti non pareatur impune.*

Est itaque hoc NOTANDUM, quod subditas Episcopi, seu dioecesanus non incurrit excommunicationem latam per statutum Episcopi, si contra illud agat extra dioecesis.
 3 Nam nemo legem ferre potest ultra limites iurisdictionis suae, vti hic dicitur in fine c. & sumptum est ex l. vlt. ff. de iurisdic. omn. iudicum: Sin autem Episcopus subditos seu dioecesanos suos per statutum obligare vellet, existentes extra dioecesis, tum extenderet legem seu statutum extra limites iurisdictionis suae: Quandoquidem lex, seu statutum per se & immediatè tendit ad locum subiectum, videl. territorium seu dioecesis, etque quasi cohæret: Et ideo non potest afficere seu constringere quemquam, si extra territorium aut dioecesis existat. Alia verò ratio est de Superioris præcepto: si v. g. subditi ex dioecesi discedenti sub poena excommunicationis præcipiatur, ne furetur: incurrere is censuram potest delinquendo extra dioecesis: Quia præceptum Superioris, sicuti & Iudicis sententia, immediatè tendit in personam subiectam, eiusque veluti osibus hæret, quocumque terrarum discesserit. Videri possunt quæ dixi fusius in cit. tr. 5. p. 1. cap. 4. coroll. 3. n. 7. & tract. 4. eiusd. libri 1. cap. 11. n. 1. & 2.

4 Porro ex tradita iuris regula, quod *Iudici, si extra territorium, vel supra modum suae iurisdictionis ius dicere velit, impune non pareatur*, corollaria quædam colligit Vdalricus Zasius super eadem l. vlt. ff. de iurisd. omn. iudicum. I. Si Archiepiscopus in Coepiscopi sui dioecesi fortè commorans, ibi causas per appellationem ad se deuolutas tractare

velit: excipi potest, quod extra dioecesis ius dicenti impune non pareatur. II. Si Vniuersitas studiorum pestis tempore aliò commigret, Rector in aliena ciuitate ac veluti extra territorium suum, inter Studiosos ius dicere non potest: nisi noua promissione, aut iuramento se obligent ac subiiciant, etiam in ordine ad illum locum. III. Qui bannitum ex territorio proscriptum, offendendi facultate concessa, extra territorium offendit, puniri potest, iuxta doctrinam Baldi in l. 1. n. 6. ff. de hæred. instituendis, quod *sententia banni non excedat territorium bannientis*, siue proscriptibentis. IV. Familia Iudicis criminofum fugientem extra territorium, seu in alieno territorio persequi non potest, aut capere, prout etiam docuit Baldus in c. eum olim, in finire, de dolo & contumacia, Bartolin l. quod ait lex, princ. ff. Ad L. Iuliam de adulter. Interdum tamen consuetudo permittit, vt liceat reum capere ad præsentandum Iudici loci, teste Zasio ibidem.

QVÆSTIO est, Si statuto episcopali a leæ ludus prohibitus sit clericis, num. ludentes in loco exempto existentes intra dioecesis, cõtra statutum peccent; atque censuram, si quæ annexa sit, incurrant? Quæstionè hæc, referendo Doctores, tractauit lib. 1. Theol. moral. tract. 4. cap. 11. n. 5. Quidam enim vniuersim aiunt, locum exemptum æquiparari loco extra dioecesis, vt Ioan. Andr. hic & Zasius in supra cit. l. vlt. col. 3. dans exemplum de Monasteriis, quæ tantùm Papæ sub sunt. At verò Suarez de cens. disp. 5. sect. 4. n. 6. excipit ecclesias & monasteria Religiosorum exemptorum, atque in his clericos Episcopo subditos obligari lege dioecesana. Mihi videtur verissima sententia Petr. Ancharani hic, quam refert & sequitur Philip. Francus hic n. 11. Vel locus siue ecclesia est per se ac plenissimè exempta, etiam ratione populi, ita vt Prælati eius quasi episcopalem iurisdictionem exercent. In hoc casu vera est doctrina, quod locus exemptus intra dioecesis æquiparatur loco extra dioecesis, & sumitur ex c. Episcopus 7. de off. Ordin. in 6. vbi de Episcopo dicitur, dubium non esse, *quin in quolibet loco ipsius dioecesis non exem-*

pro, per se vel per aliam, possit pro tribunali sedere: unde per sensum contrarium colligitur, quod in loco exempto iudicia exercere non possit: idque ne validè quidem. Vel locus siue ecclesia non est plenissimè exempta, quia vel populum subiectum non habet, vel is ab Episcopo exemptus non est, adeoque Prælati loci quasi episcopalem iurisdictionem habere non censetur. In hoc casu, vera est doctrina Friderici de Senis in consil. 2. allegata & commendata hic à Franco cit. n. 111. quod *subditus Episcopi delinquendo in loco exempto, obligatur statuto eius*: Quia privilegia ista exemptionis, quatenus sunt præiudicatia iurisdictioni ordinaria Episcopi, strictam interpretationem recipiunt; neque debent de casu expresso ad alios non expressos extendi, argum. c. cum capella 16. de priuileg. Et præberet hæc res occasionem delinquendi, turbarèturque non parum diocesalem Episcopi iurisdictionem, si ea erga Religiosorum Monasteria & Collegia, aut similia loca exempta, etiam comparatione subditorum in ijs delinquentium, se

non protenderet, uti per se patet.

Quamobrem, si Episcopus in eiusmodi Monasterio existens, personas sibi subditas citaret, & iudicia inter eas exerceret, acta valida forent, nec possent subditi contra processum excipere: sed ut licitè ac conuenienter hæc fiant, requiritur consensus Abbatis loci. Quæ doctrina sumitur ex c. luminoso 6. causa 18. q. 2. & traditur à Gl. in Clem. vn. ver. aut earum parte, de foro compet. Et ab hac sententia non discrepat P. Suarez cit. loco: solum enim dicere intendit, Monasteria & ecclesias Religiosorum exemptorum, non esse omnino ac plenissimè exempta; & non tam per se ac ratione sui, quàm personarum privilegiatarum inhabitantium: Adeo quidè, ut si accidat, Religiosos locum seu ecclesiam deserere, aut in Religiosos vel Clericos non exemptos transferendo alienare, ea haud dubiè sub iurisdictionem Episcopi recasura sit: quia sublato principali, tollitur accessorium; siue, sublato eo, quod est per se, tollitur etiam id, quod est per accidens.

TITVLVS III. DE RESCRIPTIS.

SUMMARIVM.

1. Rescriptum vim constitutionis & legis obtinet.
2. Et si propriè accipitur, est datum à Principe responsum, ad alterius consultationem, suggestionem aut petitionem.
Differt ab oraculo, epistolâ decretali, & priuilegio seu bulla gratiæ, in quo?
3. Rescripta alia generalia sunt, que omnes subditos obligant; alia specialia, qua ius faciunt inter partes, & in negotiis, pro quibus emanarunt.
4. Rescriptum aliud est secundum leges communes, & propriè Rescriptum dicitur; aliud contra illas, & vocatur

privilegium; aliud denique præter eas, & dicitur gratia seu beneficium Principis.

5. Similis diuisio est in Rescriptum iustitiæ, & gratiæ seu beneficii.



Estè post Constitutiones siue leges, de rescriptis Principum tractatur. Nam ea vim legis obtinere ait Vlpianus in l. i. ff. de Constit. Principum, *Quod Principi placuit, legis habet vigorem*. Veruntamen ex seq. §. eiusd. l. colligitur, Vlpianum legis vocabulum latè accepisse, pro quacunque constitutione, iussione, aut sententiâ robore habente secundum plenam Principis, à quo proficiscitur, potestatem:

H 3

Inquit